VINDICIÆ
D. JOANNIS FRANCISCI
DE LADERSOUS
LOVANII
IN PÆDAGOGIO PORCENSI
PHILOSOPHIÆ PROFESSORIS
ADVERSUS ITERATAS CALUMNIAS
P. GERARDI BOLCK
SOCIETATIS JESU.
CUM DIGRESSIONIBUS
AD
EXIMIUM PATREM
PETRUM CLENAERTS
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTOREM
Et larvatum ejus Vindicem, Theologum Academicum.

PRÆFATIO

Justificationem meam, quam cæpi tenere, non deseram. Job. 27. V. 6.

ADsum, *mi Gerarde*, iteratas tuas Calumnias audire, ac refellere paratus: quæ quidem non commoverunt me usque adeo, ut differendum propter eas esset negotium urgentius. Prius etiam rescribendum duxi Sodalibus tuis PP. Van Outers, Maes &c. ut qui priores tempore scriptionis, potiores erant jure responsionis. Altera silentii mei causa fuit, quod contentionem nostram, quam non ignoras aliundè in jus vocatam, non tam privato meo scripto, quam publico jure terminandam expectarim: at, cum adhuc sub judice lis sit, opinionem meam fefellit eventus, nec ulteriores moras fert. Cum enim jam aliquot mensium spatium ad meam usque responsionem labi passus sim, Tu interim, tuique sodales, tacente me, plenis buccis, tum verbo, tum scripto, qua clam, qua palam inanem triumphum cecinêre ante classicum, perguntque canere, quia necdum respondeo. Calumniosum in me libellum nuper emisisti in lucem publicam, apud primarios homines venditasti, obviis quibusque ostentas, mulierculis explanas. *Infamis impostor, mendax publicus*, passim ac diu traductus sum: ubi tantùm veritati ac mihi auxilium pararam. Imo ipsæ mulierculæ immodicæ præcones, atque illæ imprimis quas devotas seu vestales vestras dicunt, de hoc libello tuo confidenter, quamvis imperitè garriunt; nec me impostorem publicum, & infamem calumniatorem garrula muliercularum loquacitas tacet. Res inquam hæc usque adeo nota est omnibus, ut domi in Gymnasiis Vestris & Scholis Litterariis, ipsis elementariis pueris: foris lippis & tonsoribus fabula sim. Et hæ quidem inanes glo-

riationes tuæ, è vicinis diſſitiſque locis quotidiè ad me deferuntur. Sic temerè ſperaſti me edito Libello tuo apud omnes condemnatum iri ſine defenſionis Voce. Libellum hunc, quo nupero meo ſcripto reſpondiſſe videri vis, inſcribis *Scriptiuncula Apologetica P. Gerardi Bolck Societatis Jeſu, adverſus iteratas calumnias ſuper negotio Famoſi Formularis D. DeLaderſous in Pædagogio Porcenſi Lovanii Philoſophiæ Profeſſoris.* Sed hæc ipſa non niſi iteratas Calumnias Protendit: dum partim retortas ineptias, & dudum confutatas calumnias rememoras: Ut cum nihil habeas quod reſpondeas, me nihil dixiſſe præ te feras. partim non nulla alto ſilentio premis, quæ ſeriâ refutatione premere non vales. Partim præſtigioſum hinc inde dicendi genus inſeris, quo infelices pagellas commaculas, ut cum ſolidè reſpondere non poſſis, ſaltem reſcripſiſſe glorieris. Cohibes tamen nonnihil motum animi, verborumque apertam atrocitatem, ut pudenter impudens videaris. Sales, lepôres, veneres ſermonis, Tragica apophtegmata non inſpergis, nec Sodalem tuum P. Van Outers in humanæ ſapientiæ verbis æmularis. Hinc & ego Te LADERSOUSABO modeſtius. Minervâ ſcribens rudiore, operoſam ſermonis venuſtatem non ſectaris, nec in inferioribus litterulis ſtudium ponis. Ob quod *Hallenſi Apollini* Sodali tuo P. Van Outers vapulaſſe diceris: quod parùm Latinè, parùm eleganter, ſtylo ſcripſeris *Jeſuitâ* minus digno: adeo ut ad *Hallenſem Parnaſſum*, Apollinis illius judicio relegandus ſis. Scriptiunculam tuam in quatuor articulos dividis, quos ſingulos percurrendo, Vindicias meas viſum eſt quadripartiri: ut ex ſubjectis ad ſingulas partes reſponſionibus, Benevolus Lector planiùs de re tota exiſtimet, & æquius pronuntiet.

Saltando le 10 carte che seguono, si trova la continuazione del presente opuscolo, come si può riscontrare dal richiamo e dalla segnatura, vendo del Sommervogel 6.I col. 1610 [illegible]

RES-

16.5.1957

Continuatione del n° 12

RESPONSIO
AD
ARTICULUM PRIMUM.

FRons primi articuli est *Fidelis narratio eorum quæ occasionem præbuerunt D. Francisco De Ladersous spargendi calumniosum Libellum.* Sed quàm infideliter plurima, *mi Gerarde*, dum sine fide, sine teste, solâ tuâ affirmatione allegas omnia. Quorum prolixam conficis battologiam, ad triplicem hunc redigo ordinem: ut quædam publicam Lovanii disputationem de 17. Junii antecesserint, quædam in illa ipsa gesta, alia eamdem sint subsecuta. Perstringamus singula brevius, & fidelius.

Num. 1. Offendis in limine, dum te palam clancularium Illustrissimi Archiepiscopi Mechliniensis examinatorem deprædicas. Dicat hoc alius. Eodem pene modo quo in sua ad me Epistola Sodalis tuus P. Van Outers te Amplissimo Abbati Diligemensi à Confessionibus esse ostentat. Sane numquam mihi tam blandè loquêris, ut in animum inducam meum, Amplissimum Dom. Diligemensem *rogaße Te*, ut pro clanculari Religiosi sui *examine instares* apud Illustrissimum. Nec enim inter RR. DD. Diligemenses novi (novi autem optimè, quibus per annos plures Theologiam prælegi) qui publicum & consuetum Amplissimorum DD. examen declinet.

Quam dein fide tuâ, à pagina prima usque ad calcem 2. historiam attexis eorum, quæ disputationem præcesserant, nihil, aut parum ad rhombum facit. Quàm in his enarrandis variâ fluxâque fide verseris, dum tempora confundis, disparata facta committis, ultimis prima & primis ultima commisces, ex aliorum fide & testimonio, ne ad nauseam idem repetam, ad Articulum tertium planum fiet.

Num. 2. A calce paginæ 2. usque ad medium 5. eorum quæ in disputatione peracta sunt, fusiorem enarrationem sine fide vel teste instituis. Sed quid Tibi tempus & operam perdis, Typographò chartam; cum in primo scripto meo utriusque disputationis matutinæ & pomeridianæ relationem claram & fidelem legas, supra 21. testium authoritate confirmatam. Cum & in illo utriusque facti discussionem habeas, eorumque expositionem, quæ ad rem nostram faciunt. Hanc adi, Tuum

 est

eſt ſaltem 20. teſtium fidei deferre & authoritati acquieſcere. Sed tuâ fide aliam longè hiſtoriam omnibus venditare placuit, ut me apud omnes in offenſionem adduceres. Dum falsa allegas, diſſimulas vera, dicta mutilas, dictorum lacinias corradis: dum ea expungis quæ ad conciliandam cauſæ meæ æquitatem, ea exprimis, quibus invidiam fieri mihi poſſe ſperaſti. Mitto plurima, pauca prælibans.

Paginâ ſcriptiunculæ tuæ 2. fingis primò, quod diſputationis Præſes *nonnulla dixerit de Janſeniſtarum mendaciis ac impoſturis*: cum de Janſeniſtis ne vel verbum inciderit. Sed de Eximiis Dominis Doctoribus Lovanienſibus Præſes diſertè egit: dum publicè & confidenter effutire non erubuit (prout in facto meo ultra 20. atteſtantur,) *quod Eximii illi mendaces, impoſtores ſint, non tantùm utentes reſtrictione mentali ſed ſplendidiſſima mendacia ſpargentes* Niſi quos ille mendaces & impoſtores publicè dixit, hos tu Eximios DD. Doctores Lovanienſes *Janſeniſtas* & *hæreticos* palam ſcribas.

Dein ad invidiam meam ſubdolè inſinuas, quod *hæc ſtomachum ac bilem moverint Franciſco De Luderſous, quando pro Janſeniſtis de mendaciis ac impoſturis publicè accuſatis, tanquam Cicero pro domo ſua acturus, &c.* Hoc dum ſcribis & ſpargis, calumniaris apertiſſimè. Solum pro fide & auctoritate Eximiorum Dominorum ut debui, ſteti, & dum vivam, ſtabo fortiter. Unum hoc comiter oppoſui, ut in primo ſcripto meo confirmatum legis, Eximios illos apud omnes Eximiæ & integræ fidei viros peſſimè hac in parte ut *mendaces & impoſtores* traduci. Id ipſum Diſputationis Præſes in nupera ſua contra Me Appendice fatetur ſcribens Ironicè: *In hoc Viro ſuum habent Doctores Primarii Academiæ Lovanienſis vindicem invictiſſimum . . . Doctorum Academicorum videri voluit eſſe vindex Glorioſus.* Quâ tu igitur fide, *mi Gerarde*, quâ fronte Janſeniſtarum me inſimulas acerrimum vindicem?

Dum ita ego pro fide Eximiorum Dominorum ſtarem, Præſes animoſior factus impactas in illos calumnias geminare, meque, quod eorum partes tuerer, excipere inclementius. Quibus pene violentiam paſſus repoſui, ipſorum aliquem redarguendum potius quod in negotio Famoſi Formularis fraudulenter proceſſiſſet: qui ut formularis ſubſcriptionem ab Ampliſſimis DD. Prælatis obtinere poſſet, huic iſtum, iſti hunc ad ſubſcribendum paratum eſſe impoſuit. Unum hoc ex vero & fide bonâ retuli, prout in primo ſcripto oſtenſum eſt. Hoc tu dictum meum fallaciſſimè detorques dum ais: *Volens oſtendere Jeſuitas potius vocandos eſſe mendaces ac impoſtores*, cum nonniſi de Te uno relatum ſcias: adeoque unius è grege lapſum toti cætui à me malitioſè attributum imponis.

Hæc

Hæc manè. Eorum verò quæ privatim in Collegio gesta narras, eorum inquam penes te fides esto, ego omnem fidem non habeo.

Pomeridianæ dein disputationis Epitomen fallaciter astruis: dum vim & seriem altercationis nostræ totam invertis & ab occasione quâ dicta sunt quædam avellis, ut videantur odiosiora. Cum enim à meridie disputationis Præses repetitis me calumniis impeteret acrius, intonans aut illum aliquem ex Societate designandum, aut me publicum mendacem ac impostorem proclamandum: renuente me palam nominatim appellare, intelligenti pauca indicatum Te volui. Ad hoc ipse tibi conscius extra chorum inclamabas, *ergo ego sum*.. Tu dixisti mi Gerarde. Hic me *Jansenistam mentientem*, *in cerebro Jansenistico fingentem*, *fide Jansenisticâ asserentem* vociferabaris. Insultatione Tuâ compulsus vel invitus mihi & veritati paravi auxilium. Igitur Amplissimos DD. Diligemensem & frigidi Montis designavi quibuscum in subscriptione formularis ita actum foret. Instanti cujus id fide & authoritate assererem, reposui id me ex ore Amplissimorum DD. Diligemensis & Grimbergensis referre. Hæc in primo scripto meo deducta latius habes & probata.

Hic tua se prodit vafrities dum Prælatum Grimbergensem à me iteratò nominatum constanter fingis: quem semel, ægrè nominavi, adeo ut de confessu etiam mihi vicinissimi, ne tu ipse quidem à me nominatum perceperis. Dein falsò rursum imponis, Amplissimum Grimbergensem à me designatum *quem sæpius convenisses ut formularis subscriptionem eliceres*, cum planè & rotundè unum hoc à me dictum scias, quod de Amplissimis Frigidi Montis & Diligemensi asserta ex ore Amplissimi Grimbergensis præsente D. De Cock Philosophiæ Professore perceperim. Cur id modo dissimulas & tuâ fide negas quod in primo scripto meo duodecim testium fide & authoritate habes confirmatum. Habe rursum: *tunc oppugnans Amplissimos DD. Prælatos Diligemensem & Frigidi Montis allegavit, quibuscum taliter in negotio formularis actum fuisset. Petiit, an hoc ipsi assererent? Respondit, ut sæpe ante, oppugnans, ita se ab Amplissimis DD. Prælatis intellexisse, scilicet ab Amplissimo Diligemense, & alio tertio Amplissimo. Dum instaret quis ille foret Prælatus tertius, Oppugnans Amplissimum D. Grimbergensem designavit, à quo etiam se id ipsum audivisse asseruit.*

Post hæc homini isti Evangelico Marci 9. non absimilis spumans, stridens dentibus, in fide Sacerdotis pernegabas omnia; nescio quæ in me convitia & dicteria coacervans auditorium interpellabas hac bardâ phrasi: *Videte non habet pudorem in facie.* Ita est, Mi Gerarde, Veritatis testimonium non erubui. Erubuisti, salva res est: ad Calumnias & dicteria tua obmutui, ne verbulum reponeres; unum hoc & summum dixi,

ut

ut in facto meo subscribunt omnes. *Quod denique oppugnans ultimis his verbis concluserit: Quidquid sit, quod Reverentia Vestra taliter processerit, dico me ex Amplissimis DD. Diligemensi & Grimbergensi praesente Confratre meo intellexisse, ad quorum fidem appello & sisto.*

Num. 3. A folio quinto usque ad calcem articuli ea persequeris, quæ post disputationem gesta concernunt. Plurima non moror quæ ad rem non pertinent, & tuâ fide comminisceris. *Interea*, inquis, *Bruxellis me accessit D. Ladersous ex consilio ut ajebat multorum amicorum.* Ita est Mi Pater, non diffidens æquitati causæ meæ, sed ut famæ & æstimationi tuæ consulerem, ut nomini & auctoritati Amplissimorum DD. qui in scenam venerant, parceretur, accessi te. Exposui quod ex multorum amicorum consilio, etiam Tuorum quos nominabam, nihil intentarem aut jure publico aut privato scripto: etsi pro justa mea defensione possem, & ad multorum instantiam deberem. Referebam quod hac super re cum Amplissimo Diligemensi contulissem pluribus, qui hanc contentionem nostram intra scholæ parietes natam, intra eosdem utrimque suadebat extinguendam. Amplissimi hujus Viri nomen & auctoritatem, facta mihi potestate, apud te interponebam. Acquiescere videbaris vel videri volebas, dum & Te Amplissimo huic Viro longo amicitiæ usu copulatum jactitabas. Plura inter nos verba conseruimus & animo certè (nisi tunc quoque dissimulares) nec alieno nec infenso. Lovanium redux rem gestam pluribus, tuis ipsis amicis fideliter refero: gaudebant illi nostram hanc contentionem sopitam mecum persuasi.

At ecce, post dies paucculos spargi cœpta est calumniosa scheda, platearum angulis, portarum valvis affixa, venùm exposita publicè, quæ per omnium manus & ora volitavit. In hac de *Splendidis mendaciis convictus* proclamor & quod ex vero & fide bonâ retuli, ut *splendidum, purum putum mendacium, mera calumnia, contumelia*, calumniosè traducitur. *Mendax, impostor, calumniator* audio apud summos infimosque. Ita me à quo non modo læsus, sed tantâ humanitate affectus es, lacessisti, adorsus es. Ego te hortatu meo, aliorum consilio & authoritate, rebus tuis consulens, ad silentium pellicere volui. Tu vero urbanitate istâ meâ fidentior factus, quasi ego tela tua refugerem in lucem exire maluisti: & apud illos disceptare apud quos & tibi sperandam & mihi metuendam sine defensionis voce condemnationem frustra putabas. Sanè cum te amicè convenerim, magna mihi fuit causa querendi cur laborem non necessarium & in me iniquum subiisses. Mirari satis non potui, Virum Theologum, Religiosum, Sacerdotem ita stimulari posse, ut meo nomine ad invidiam & pompam abuti vellet. Ubi gratiam habere debebas, quod famæ tuæ silentio meo suffragarer. At

At, inquies, famæ meæ & existimationis interest, dum quæ in disputatione retulisti, calumniosè mihi affinxisti. Impostura scripto publico detegenda erat, diluenda calumnia. Ita, mi Gerarde, veritatem tantisper offuscari posse sperasti, famæ tuæ consulere volens, sed temerè & imprudenter. Plures possem easque graviores etiam hodiernas contentiones recensêre, quas occasione publicarum disputationum Jesuitas inter aliosque, tum Sæculares, tum Regulares, subortas novimus. Sed quas audivimus intra scholæ parietes ortas, inter eosdem sopitas scimus. Ut quid ergo contentionem hanc nostram ex nulla aliquam, & ex privata intra scholam, publicam omnibus fecisti? Dein, si quæ de Rtia Vestra ex vero & fide bonâ retuli, in speciem injuriosa videbantur, plenè omnis injuriæ & calumniæ nota abstersa erat, dum in fide Sacerdotis pernegabas omnia: & me coram eodem frequentissimo consessu, *mendacem*, *impostorem*, *calumniatorem* ad ravim ingeminabas. Quid Tuâ intererat ut scripto publico famam redimere æquum censeres? solo silentio defungebaris: dum me silente, constitisset tibi satis fama apud omnes. Meum erat, cum tunc alius non esset defensionis locus, jure, vel scripto publico fidem meam præstare, teterrimæ calumniæ imposturam, mendacii maculam amoliri: & hæc tamen alto pressissem silentio, nec quidquam jure aut scripto attentare Decretum erat: etiam ut Tuæ consulerem, famæ meæ jacturam faciens. Neque hæc te latebant; meminisse potes cum te Bruxellis conveni, mihi in animo non fuisse responsi quidquam edere, & hoc unum tibi à me responsi esse allatum. Qua igitur charitatis umbrâ, quo justitiæ colore, cui bono calumniosam in me scedam eruis in lucem publicam? Nusquam animosius insultans, quam ubi manifestius teneris.

Verùm, ut ais, *me fortè imaginatus fueras scedulæ impressæ authorem*. Sic calumniosæ schedæ Authoris nomen refugis & erubescis. Nec mirum, cum non scis nescius, plus dedecêre Theologum, Religiosum, Sacerdotem levissimè hoc certamen concitasse, quam in eo cecidisse. Ego te, mi Gerarde, & mecum lector omnis, & Tuus ipse Sodalis P. Van Outers infamis scedæ Authorem recognoscimus. Quid ergo? Tuus hic Sodalis, qui te teste *Vir sincerus ac fide dignus ab omnibus habetur*, authorem te ait, tu negas. Utri Jesuitæ crediderim? scedulæ credo quæ authorem Te plus satis prodit. Excusas interim, dum ita scribis *mitto igitur quantocius testimonia Amplis. Grimbergensis & Frigidi Montis, adjungo unum canonem adversus calumniatores, & paucula quæ festino calamo conjiciebam in chartam. Aliquis Lovanii meo nec jussu, nec rogatu scripsit & imprimi curavit Schedulam*: Quam bellas bullas fundis! Quis crederet in hac elaboranda schedula alium aliquem Sodalem Tuum, aut plures ingeniis conspirasse, qui à te submissa testimonia, Canonem adversus Calumniatores, & paucula in chartam conjecta, in or-

 dinem

dinem redigerent, & venustate sermonis scilicet expolirent. Næ tu lepidus es homo mi Gerarde? Qui te ipsum Auctorem negas, & alium Sodalem tuum astruis, quod à Te submissa correctius exscripserit, & Te absente Lovanii imprimi curaverit. Quid ni ipsum Typographum Authorem rectius dixeris? Quia impressit.

Hac igitur infami schedâ Tuâ Tuorumque Sodalium, lacessitum me & silentem confidentius triumphasti, ac triumphi Tui sonitu tandem ad pugnam vel invitum elicuisti. Ego Te numquam ad scribendum lacessivi: nec in familiari isto congressu quidquam dixi, quod te meritò stimularet, aut à modestia, vel Te Judice dissideret. Tunc demum silentium penè obstinatum solvi, postquam me, nequidem schedulâ istâ publicâ satis commotum, gloriando & ovando ad necessariam responsionem tandem perculisti. S. HIERONYMI Epist. ad Pamm. adversus errores Joannis Hieros. Secutus concilium & mandatum: *Stultum est frustra infamiam sustinere: objicitur ei crimen cujus non habet conscientiam, ergo crimen quod totum pendet in Verbo neget confidenter, ac liberè faciat invidiam adversario suo; eâdem audaciâ quâ ille insimulat, hic defendat.*

Sic liquidius constat me in suscepta defensione, quam primo scripto meo exhibui, nullo meo affectui indulsisse, omninoque nihil à me cupidè factum quivis intelligit. Vel enim Gloriationi Tuæ assentiendum mihi ipso silentio, vel apertè obsistendum fuit. Ego tantum schedæ Tuæ respondi & calumniæ vadimonium quod tu mihi denuntiasti, obivi. Refellendæ calumniæ laborem veritati & fidei meæ, quam tueri debebam negare non potui. Ita Te tibi, mi Gerarde inimiciorem fateri debes, quam me, cujus justam defensionem publicâ schedâ quiritabaris: ut non solum tuæ in me scriptionis, sed & in Te meæ author sis dicendus.

Rursus in certamen vocor: dum post refutatas per primum scriptum meum calumnias, alteram *scriptiunculam Apologeticam*, tua venditatione publicam, meâ hâc responsiunculâ publicare cogor; quod quidem, cum Tu nihil ab incæpto desisteres, consilium necessarium cæpi, idque serò admodum ratum fuit ac fixum: nimirum multò postquam reliquas meas ad sodales Tuos responsiones edidi. Certum diu fuit solum silentium opponere ut *neglecta exolescerent*: Sed cum inanes gloriationes Tuæ ad invidiam meam quotidie percrebrescant magis, alteram & ego eamque justam & necessariam defensionem aggredior. Dum ex vero & fide bonâ in disputatione relata, in primo scripto meo satis probata, uberius demonstro iteratas tuas calumnias plenius refellens. Tu interim, mi Gerarde, patere, ut inani gloriationi tuæ non molestus obstrepam.

RES-

RESPONSIO
AD
ARTICULUM II.

ARgumentum ſecundi articuli eſt. *D. de Laderſous de calumnia convictus.* Quid modeſtius, quid urbanius? Sed nil minus probat in articulo, quam quod in titulo probandum aſſumpſerat. Tria agit. Primò factum præmittit cui ſeptem ordine teſtes ſubſcribunt. Dein ex facto tria ſe manifeſtè deducere prætendit. Denique ſicuti in fronte exordiens, ita in calce finiens concludit, *manifeſta eſt igitur Calumnia D. Laderſous.* Hunc proinde articulum ſyllogiſticè expono, ut *aſſumptum* ſit factum quod adducit, *ſubſumptum* ſint tria quæ ex eo colligit, *Concluſio* titulus *De Laderſous de Calumnia convictus.* Verum ut omnibus pateat conſequentiæ infirmitas & concluſionis falſitas, *aſſumptum* & *ſubſumptum* paucis diſcutio.

Aſſumptum tuum, mi Gerarde, ſeu factum prout à te allegatum pernego prout à ſubſcribentibus limitatum, concedo. Nolim enim ego contra teſtes excipere, quamvis fortè jure contra nonnullos poſſem. Ad conceſſæ partis elucidationem, obſervatiunculas has pauculas ſubjicio.

1. Quod hæc facti ſpecies alia longè ſit ab illa, quam in prima tua ſcheda ſine fide, ſine teſte, omnibus ſubdolè & calumnioſè mihi impoſueras: ſed nullam de hoc controverſiam facis, ſilentium opponens tuum, cum collatum utrimque factum tibi ora obſtruat.

2. Quod unus ex P. Clenaerts primus ordine facto ſubſcribat ad litteram: motu proprio ſuperaddens (ut narrativa ſit fidelis & ſincera) *addidit Doctiſſimus D. Oppugnans particulam mendaciter.* Reliqui verò teſtes omnes, facti ſpeciem atteſtationibus ſuis plurimum immutant, reſtringunt, limitant &c.

3. Subſcribens ordine ſecundus R. adm. ac Erud.mus D. NICOLAUS PAUWELIUS S.T. L. ac Profeſſor ordinarius, Collegii Atrebatenſis Præſes, ac Plebanus Lovanienſis, magnæ notæ ac famæ Vir, multiſque inclytus clientelis, mihi de toto conſeſſu viciniſſimus, ab exordio præſens, altè intendens, ſubſcriptione ſuâ quod Principem cauſam attinet teſtatur nihil: ſed oppoſitum per omnia inſinuat, dum ait, *primò quod neſciam utrum Patrem Bolck nominaverit. Tertio, utrum dixerit an R. P Bolck acceſſerit Prælatum Grimbergenſem an verò quod Grimbergenſis, hoc concernens reliquos duos Abbates, ipſi Laderſous narraverit.* In hujus, mi Gerarde, palmarii tui teſtis fide & authoritate allegatum factum plenè admitto lubens.

4. Ex.

4. Ex. P. *Du Jardin* Ordine tertius, qui solum post meridiem interfuit, factum tuum testari paratus est *saltem quoad substantialia & quoad illa quæ maximè ad rem faciunt*; ut ipse loquitur.

5. Ne vel verbum contra me deponit testis tuus quartus *fr N. de Bertenchamps* Ord. FF. minorum S. T. Lector. cum testetur *in quantum* ut ait *concernunt facta & dicta tempore matutino*; adeoque pauculis fusioris facti lineis in exordio vix subscribit: & cum idem ille facto meo antemeridiano planius exposito subscripserit, facile nos inter de hoc tuo teste convenit.

6. Denique quem quinto loco adducis testem P. Bonaventuram van Dyck Ord. FF. Min. Theologiæ Lectorem in facto tuo *narrata quoad substantiam contigisse* solum deponit. Ordine sextus & septimus factum tuum variè restringunt: dum varia exprimunt quæ à se audita negant. Itaque totius facti tui plena fides penes unum est *fidelem* & *sincerum P. Clenartium* qui omnibus subscribit ad litteram. De quo digressionem meam infraconsule.

N. 2. Atque ex his ad tripartitum *subsumptum* via strata est, ut eorum quæ ex discusso facto tibi *manifesta sunt*, falsitas omnibus manifestò appareat.

Ex hoc facto, inquis, *est manifestum*, 1. *D. Ladersous asseruisse in eo me nequiter ac fraudulenter egisse, quod tres Prælatos scilicet Frigidi Montis, Grimbergensem, & Diligemensem sæpius convenissem, ac decepissem in negotio formularis*. Distinguo, *mi Gerarde*, id manifestum est ex facto à Te allegato, transeat. Manifestum est ex facto prout ab aliis subscripto, nego. Cum enim ex præmissis observatiunculis alii à meridie non interfuerint, alii etiam præsentes hoc à se auditum negent, vel nesciant, reliqui quoad substantialia solum deponant; Qua specie, quod deducis manifestum sit, nullus video. Verùm largiar liberalius, *in substantia* subscribant omnes: res nostra capitalis est, à me relatum è Societate aliquem, ut ab Amplissimis DD. Prælatis subscriptionem famosi formularis obtinere posset, huic istum, isti hunc ad subscribendum paratum esse falsò asseruisse: Quod in facto meo facile 20. testes attestantur. Sic dum in tertio Prælato ludis & imponis, substantiam linquens umbram prendis. Quid enim ad principem causam attinet, sic cum Prælato tertio, quarto, aut quinto pariter egeris, non egeris. Modo cum duobus ita actum concedas, de tertio & quarto negabo tecum. Sanè exilis hæc vitilitigatio est, atque unicum, quo te bellè tueri posse existimas effugium, dum te aliundè constrictum vides.

Et verò id à me, de duobus tantùm relatum, planum fit omnibus ex facto meo pomeridiano, cui tredecim ordine testes subscribunt: inter quos illi ipsi tres, qui facto tuo *quoad substantiam* subscribentes, facto meo dum dein subscribunt, substantialia planius exponunt. Dein in primo scripto

meo

meo ſub titulo, *calumnia retorta circa Ampliſſimum D. Prælatum Grimbergenſem*, oſtendi pluribus nequaquam à me aſſertum, quod Prælatum Grimbergenſem conveniſſes umquam. Unum hoc & ſummum ægre dixi, quod cum duobus Prælatis aliis taliter in negotio Formularis egiſſes, id ipſum me ab Ampliſſimo D. Grimbergenſi excepiſſe: quod ex pomeridiano meo facto planum fit: dum ordine 12. unum hoc à me dictum teſtantur: *quod denique oppugnans ultimis his verbis concluſerit. Quidquid ſit quod Reverentia Veſtra taliter proceſſerit, dico me ex Ampliſſimis DD. Diligemenſi & Grimbergenſi præſente Confratre meo intellexiſſe.* Quod itaque reproducis Amplis. DD. Grimbergenſis & Frigidi Montis teſtimonium, jam in primo ſcripto meo plenè conceſſum, & modo tranſeat: cum ut ibidem oſtendi pluribus, ad rem noſtram minus pertineat.

Ex facto ſupra expreſſo, inquis, *manifeſtum eſt ſecundò D. Laderſous aſſeruiſſe, in eo quoque me nequiter ac fraudulenter egiſſe, quod Ampliſſimo Diligemenſi perſuaſiſſem, quod ipſe De Laderſous paratus eſſet jurare in formulare.* Id à te dictum eſſe in ipſa diſputatione, & hac tua ſcriptiuncula ingenuè confiteris. Id nequiter ac fraudulenter factum eſſe Diſputationis Præſes rectè admiſit: & quivis ſatis intelligit, dum hoc à Te relatum attendit, ut Ampliſſimum D. Diligemenſem (quem nullis modis aut artibus, ſcis quibus, potueras hactenus) ad formularis ſubſcriptionem ſubdolè induceres: inſtabas his verbis: *Quid? ipſum de Laderſous nunc in Pædagogio Porcenſi Philoſophiæ Profeſſorem, & quondam apud vos Theologiæ lectorem, certus ſum paratum eſſe jurare in formulare, ubi id ab ipſo exigeretur.* Sed fidem omnem non habuit Vir Ampliſſimus.

Verum, inquis, *nec in hoc egi nequiter ac fraudulenter, nam id dixi ad ejus commendationem.* Gratiam habeo certè quod famæ meæ hoc loco laudique ſuffrageris: utinam Tuæ nobis pariter liceret. Sed Quid Tu ad meam commodationem dixti, qui me de Lectoratu Diligemenſi dimovendum non ſemel ſed incaſſum ſuggeſſeras: qui & tunc quidem cum hæc diceres, non optimè de me ſentiebas. Sic enim habes articulo primo: *Nam ut verum fatear, non optimè de ipſo ſentiebam.*

Sed dixi ex ore inquis, *ipſius quondam Magiſtri P. Emmanuelis Van Outers.* Hic fidem liberas, dum hujus Sodalis Tui teſtimonium adducis Sed, qui tibi Præſidio eſſe contendit, ſuam viciſſim fidem & Veritatem præſtare ipſe cogitur. De quo alias ſatis ſuperque actum eſt, Primi mei ſcripti *titulo ultimo*, Epiſtolâ meâ ad P. Van Outers, & in nupera mantiſſa ad *Maſianum Symbolum.*

Verùm, mi Gerarde, ſi nec *nequiter* nec *fraudulenter*, ſed fide bonâ egeris hæc de me in fide unius Sodalis tui referendo, plus ego fide egi optimâ, dum plurimorum fide & authoritate confirmata, in nupera Diſputatione retuli & primo ſcripto meo relata probavi.

Ex facto supra expresso manifestum est. Tibi *tertiò, D. Ladersous asseruisse id quod dixerat certum, cognitumque sibi esse tum ex litteris ad se datis, tum immediatè ex ipsis Prælatis.* Fateor ac fassus sum id quod de Te retuli, ut ipse insinuas, fide optimâ retuli: scilicet ex variis ad me datis amicorum litteris intellexeram, Bruxellis præsens à plurimis fide dignis, ipsis Religiosis, aliisque Prælatorum familiaribus amicis exceperam. Lovanii à magnæ notæ Viris confirmatum audiebam. Denique immediatè ex ipsis Prælatis scilicet Diligemensi & Grimbergensi, præsente D. De Cock. Philosophiæ Professore constanter intellexeram. De quibus articulo sequenti opportuniùs.

Num. 3. *Conclusio* tandem articuli Thesis est tituli *manifesta est igitur calumnia D. Ladersous.* Sanè manifesta est ex dictis sequelæ infirmitas, & conclusionis falsitas: cùm ex discussione antecedentis planè corruat, quod in me invidioso consequente jacis. Argumenti vitia in forma & materia, facile dab t paucorum dierum Dialecticus.

Nunc meum, *mi Gerarde*, bonæ formæ & materiæ breve argumentum habe. Ex prima scheda tua manifestum est quod longè aliud factum sine fide, sine teste substitueris. Ex secunda hac scriptiuncula manifestum est quod ex subscripto facto pessimè colligendo imponas. Per se fluit consequentia. *Manifesta est igitur calumnia P. Bokk.*

RESPONSIO
AD
ARTICULUM III.

ARticulus 3 inscribitur *Calumnia à D. Ladersous non retorta sed aucta vehementer.* Incipit. *D. Ladersous quoniam lingua cœperat esse impudens calumniator, calamo pergit esse impudentior:* Enim verò per humaniter. Sed hæc calumniosè vociferando, calumniam frustra amoliri niteris, altius vulnus adigis, efficisque quo minus ducat cicatricem. Dum enim calumniarum Tuarum memoria, vel tempore ipso evanuerat, *neglecta exolescunt*, hic ipse refricas & novum probandi onus vel invito mihi imponis. Ut autem vehementer auctam probes calumniam, prioris sumpti partem primam resumis, pergis paulò distinctius, & ad tres Prælatos, qui in scenam venerant singulatim descendis. Hîc princeps causa agitur. Pedem conferamus.

Num. 1. Infeliciter ordiris à Prælato Grimbergensi, de quo rursum ad nau-

nauseam insimulas, dixisse me quod Virum hunc *Sæpius conveneris ac decepseris in negotio Formularis.* Cramben sæpe nimis ad fastidium recoquis. Id enim plus satis in primo scripto meo longiùs refutatum habes. Ad præcedentem articulum ostensum est id neque ex facto tuo colligi, prout testes subscripsêre, & in facto meo oppositum planius exprimi. Unum hoc dixi & dico modo, non Te, *Mi Gerarde,* Amplissimum Grimbergensem in negotio Formularis circumvenisse; sed ex ejus ore, præsente D. De Cock Philosophiæ Professore percepisse me, quod de duobus Prælatis aliis fideliter narravi. In quo igitur quam justè retorsi, *Vehementer auxi calumniam ?*

Num. 2. Speciosè pergis ad Amplissimum Frigidi Montis, & ad rem nostram propius accedis. Sequar lubens. Hic nos inter facile de facto convenit, scilicet à me relatum optimo huic Viro in subscriptione famosi Formularis (qui inter Belgii Prælatos subscripsit unicus) obreptum esse, & à Te impositum. Quod quidem ut Bruxellis publicè notum, à plurimis, ab ipsis Religiosis, aliisque Amplissimi Viri familiaribus amicis audiveram: ex variis ad me datis litteris confirmatum intellexeram: ab ipsis Amplissimis DD. Prælatis Diligemensi & Grimbergensi constanter exceperam. Atque horum plenè fidem præstiti, dum in primo scripto meo hæc produxi testimonia

Ego Infrascriptus profiteor ac testor me 21. Maii 1692. ea quæ supra recensentur, ex ore Amplissimi Domini Prælati Diligemensis (præsente Domino De Ladersous) audivisse. Dabam Lovanii 18. Julii 1692.

JUDOCUS DE COCK Philosophiæ Professor.

Infrascriptus profiteor ac testor me ea, quæ supra testatus sum audivisse ex ore Amplissimi Abbatis Diligemensis etiam quoad substantiam (præsente D. De Ladersous) audivisse ex ore Amplissimi Domini Abbatis Grimbergensis. Dabam Lovanii 18. Julii 1692.

JUDOCUS DE COCK Philosophiæ Professor.

Infrascriptus S. T. L. & Pastor S. Joannis in Molenbeca, & S. Catharinæ Bruxellis ad instantiam Doctissimi D. N. De Ladersous Professoris in Pædagogio Porcensi, & in favorem justitiæ declaro, paratus etiam solemni juramento, si opus fuerit, affirmare, Reverendum admodum ac Amplissimum D. Abbatem Frigidi Montis mihi in terminis dixisse, die decimâ octavâ Junii novissimi, se fuisse deceptum in subsignatione famosi Formularis circa V. Propositiones Jansenii: & Reverendum Patrem Bolck è Societate Jesu dixisse uni Religioso præfati Monasterii Frigidi Montis, Amplissimum Dominum Abbatem Diligemensem paratum esse ad subsignandum prædictum Formulare. Datum Bruxellis 17. Julii 1692.

GUIL. VANDE NESSE.

Ad

Ad hæc omnia, inquis, *respondeo Verbis Amplissimi Prælati*, ejusque testimonium (scis quibus artibus obtentum, nec me latet omnino) subjicis, concludens *Satis opinor de Calumnia Convictus est Ladersous.*

Hic invitus adigor, ut quæ in hac parte verissima sunt omnibus pandam, alias dissimulaturus. Non enim solùm ipse petor, sed Amplissimorum DD. fidem & veritatem ex quorum ore retuli, Domini de Cock qui me præsente relatum testatur, D. Vande Nesse qui ex ore ipsius Amplissimi Frigidi Montis id se excepisse deponit, præstare cogor. Quid hic censêre debeat ex subjectis testimoniis (plures habeo in hanc rem testes Viros graves, qui veritatis testimonium refugiunt hactenus, ubi opus in judicio adigendos) pronuntiet eruditus atque æquus lector.

DOCTISSIME DOMINE

I*Ncidit in manus meas* scriptiuncula Apologetica R. P. Gerardi Bolck, *in qua dum vidi testimonium Reverendi Admodum ac Amplissimi Domini Abbatis Frigidi Montis, quo ille negat à se dicta, inter alia etiam ea quæ à me asserta sunt, & Apologiæ vestræ inserta, vehementer obstupui; & vehementius, dum in Libello Famoso* confutatio insignis calumniæ &c. *me traduci video ut perfidum & perjurum, aliosque S. Augustini discipulos in me eodem stigmate notatos; non mihi prurit animus injuriam injuriæ reddere, sed quam sit infundata, temeraria & injuriosa consequentia, facile Dominatio Vestra & quilibet æquus judex discernet, si attendat ea, quæ à me dato testimonio asserta sunt, acta & dicta esse inter me & solum præfatum Amplissimum, nullo teste præsente nisi solo Deo, adeo ut nec ego perjurii aut mendacii reus argui, nec Abbas ex hac affirmatione aut negatione possimus: dicent forte, Abbati, utpote personæ in dignitate constitutæ, majorem fidem adhibendam esse quam mihi. Sed mihi potiorem deberi via juris, ut cæpi, ostendam, & probabo præfatum Amplissimum, quibusdam suis religiosis, & aliis Amplissimis dixisse se in subscriptione formularis fuisse deceptum. Addo pro majori elucidatione veritatis testimonii mei, quod, cum memoratus Amplissimus mihi quædam hujus historiæ puncta narrasset, eumdem, requisitus ab Eximio Domino Hennebel, ac hujus nomine, rogaverim ut scripto declararet sibi in subscriptione formularis obreptum esse: sed recusavit dicens se id facere non posse, ne offenderet Archiepiscopum, cui suberat & quo sæpius indigebat. Hæc, & alia priori meo testimonio asserta, 18. Junii 1692. quo acciderunt & eodem pæne momento temporis, quo Abbatia egressus sum, præsentibus duobus testibus, citandis si opus fuerit, annotavi: nec credideram præfatum Abbatem ægre laturum me testari ea, quæ ipsum pluribus & publice dixisse, mihi certo constabat; præsertim cum testimonio meo excusaretur aut saltem minueretur qualiscumque ejus levitas in signando formulari. Quo autem*

modo

modo factum sit ut memoratus Abbas sua ante dicta negaverit, scire non possum. Unum hoc cogitare benignitas Christiana compellit, quod Pater van Outers in Epistola sua ad Dominationem Vestram scribit de eodem Abbate, quod optimum senem (utpote jubilarium) ætas grandis dictorum suorum immemorem reddat. Procurator fiscali qui dictum Libellum impressit, moras nectit in reddendis originalibus, prout malè conscii solent, & hæc causa dilatæ responsionis. Vale.

DOCTISSIME DOMINE

D. V. Humill. Famulus

GUIL. VANDE NESSE
Pastor S. Joan. in Molenb. & S Catha.

Infrascriptus ad instantiam Domini De Ladersous testor me ex ore cujusdam Religiosi Abbatiæ Frigidi Montis N. N. Sacerdotis (qui tempore & loco nominandus est) audivisse, Amplissimum Dominum Abbatem præfati monasterii fuisse conquestum se deceptum in subscriptione Famosi Formularis circa Propositiones Jansenii. Et eumdem Abbatem itidem fuisse conquestum, quod cum Domino Guil. Vanden Nesse Pastori Sanctæ Catharinæ casum deceptionis ante-dictæ familiariter narrasset, *præfatus Pastor eumdem casum dato testimonio alteri manifestaverit,*

Insuper testor me ex eodem Religioso intellexisse, quod Religiosus quidam ejusdem monasterii occasione examinis accesserit quemdam Patrem Societatis, qui ei dixit nullam subesse difficultatem, modo vellet subsignare formulare: cui alter respondit se paratum, si Prælatus consentiat. Ad hoc Pater ille, indubiè consentiet, dum intelliget Prælatum Diligemensem subsignasse. Datum Bruxellis 12. *Septemb.* 1692.

J. BORREMANS S. T. B. F.
Canonicus & vice-Pleb. D. Gud.

Infrascriptus ad instantiam Domini De Ladersous Professoris in Pædagogio Porcensi testor me ex ore cujusdam Religiosi mihi noti Monasterii Frigidi Montis audivisse, Amplissimum Dominum Abbatem Præfati Monasterii fuisse conquestum se deceptum in subsignatione Formularis circa Propositiones Jansenii. Dabam hac 1. *Septembris* 1692.

HENRICUS WITTEN S. T. Baccalaureus Formatus.

Infra scripti itidem, declaramus, nobis præsentibus Amplissimum D. Abbatem Diligemensem retulisse, quod Amplissimus Dominus Abbas Ninoviensis ei in Refugio suo narrasset; Amplissimum D. Abbatem Frigidi Montis in mensa, ipso præsente & Amplissimo Domino Parcensi, dixisse, Se fuisse deceptum in subscriptione famosi Formularis circa quinque Propositiones Jansenii.

Denique declaramus, nos audivisse ex ore Amplissimi Domini Diligemensis, quod Reverendus P. Bolck dixerit Amplissimo Domino Frigidi Montis, quod ipse, scilicet Prælatus Diligemensis, esset paratus subscribere aut jam subscripserit famoso formulari; & hoc ipsum se alibi audivisse narravit præfatus Ampl. Diligemensis Domino De Ladersous in præsentiâ Domini De Cock. Actum 9. Sept. Anno 1692.

N. Van Langendonck Præsbyter.

Ad. Van Sinay Præsbyter S. T. B.

Quæ quidem omnia, fidem, ut arbitror, perabundè faciunt, à me in disputatione fide bonâ relatum Amplissimo Frigidi Montis in famosi Formularis subscriptione à P. Bolck impositum esse; ex falso ipsi persuadendo Amplissimum Diligemensem aut jam tum subsignasse aut paratum esse. Eâdem fide & auctoritate in scripto meo asservi folio 20. *sæpe Amplissimus Frigidi Montis in subscriptione formularis sibi obreptum esse apertè conquestus est, sæpè deceptum esse tum domesticis suis, tum exteris, quâ clam quâ palam, ingenuè confessus. Quoties coram Ornatissimo plurium Prælatorum consortio, dum sermo incideret quod solus inter omnes Prælatos subscripsisset, ingemuit illud, fui deceptus, fui deceptus.*

Sed quid ego ad Amplissimi Viri quod præfers testimonium? Ne virum optimum authoritate Tua atque artibus captum dicam, ne insidias Montenses suspicer, aut fraudes nuperas in causa D. Pastoris Hallensis; nostin? Unum hoc animum subit quod in sua ad me Epistola P. Van Outers suggerit: aut scilicet memoriæ optimi senis, *quem ætas grandis dictorum jam immemorem reddidit*, parcendum; aut calliditati Tuæ adscribendum. Cum ut scribit idem sodalis Tuus sis *in persuadendo potentissimus ac subtilissimus in ratiocinando*. Verba Epistolæ ejus accipe. *Non operosum fuerit alicui é Sophistis Vestris* (è Jesuitis Vestris) *seni optimo, argutiis suis & vanis subtilitatibus quarum ætas grandis ipsum jam immemorem reddidit, voces hujusmodi* (testimonium hujusmodi) *extorquére, quas* (quod) *rectius edoctus haud difficulter retractabit ut confido.*

Num. 3. Callidè finis dum ais, *etiamsi Amplissimo Frigidi Montis vel per me ipsum vel per alium dixissem, Amplissimum D. Diligemensem consensisse: idque ea mente ut ipsum inducerem ad imitandum exemplum, nihil dixissem*

falsi

falsi, non egissem nequiter aut fraudulenter : nam revera Amplissimus Diligemensis consenserat ut patet ex ipsius testimonio. Amplissimi Viri testimonium, quod verbo & scripto sæpè sæpius requisivisti & post importunas præces sub tuo chirographo, quod ante renuebas 29. Julii, cum obtinere aliud non posses, acceptasti. Testimonium hoc pessimè detorques & abuteris. Planè & rotundè loquere. Distingue tempora & concordabunt facta ; Quod ut pateat omnibus, allatum testimonium per ejus numeros ad verbum explano.

1. *Cum aliquem,* inquit Amplissimus Vir, *ex Religiosis meis vellem mittere ad Approbationem, accessi R. P. Bock, qui mihi respondit neminem approbatum iri nisi juraret in Formulare, quod numquam videram : consensi tunc, sed postea viso Formulari mutavi sententiam.*

Rectè Vir Amplissimus *consensi tunc:* dum Tu scilicet (cæteras artes tuas prætereo & offucias taceo) nullam inesse difficultatem constanter affirmabas. Dum petenti *an esset simile formulare, quale exigi soles à Baccalaureis aliisque Graduandis Theologis* annuebas, iteratò instans nullam Formulari inesse difficultatem. *Sed postea viso Formulari mutavi sententiam.* Rectissimè. Quia Viso Formulari, argutias tuas & fallacias vidit; difficultatem subesse agnovit, & à Formulari Academico planè differre intellexit. *Postea,* cum scilicet à meridiè in formulare non visum conditionatè, *si esset tale, dixerat se consentire,* sequenti die manè absolutè mutavit sententiam.

Quæ quidem ita se habêre manifestum fit ex fide *RR. DD. N. Van Langendonck & Ad. Van Sinay Presbyterorum,* quibus prout & mihi hac super re Amplissimus Diligemensis mentem suam candidè aperiens, dati sui testimonii sensum planius exposuit. Et præfatis Dominis ut pro rei gestæ veritate fidum subsequens testimonium ferrent, copiam fecit.

Infrascripti ad instantiam Domini De Ladersous declaramus, nos interfuisse consortio Amplissimi Domini Abbatis Diligemensis, tuncque ex ejus ore audivisse, quod, cum sermo incideret de quodam Religioso approbando ad excipiendas Confessiones, responderit Reverendus P. Bolck, neminem approbatum iri nisi juraret in formulare; petens ut ipse Amplissimus & ille approbandus subsignarent Formulare circa quinque Propositiones Jansenii; tuncque ab antedicto R. Patre petiisse præfatum Amplis. quale esset istud Formulare. Respondit supra memoratus Pater, nullam Formulari inesse difficultatem: *Petiit prænominatus Ampl. an esset simile Formulare quale exigi solet Lovanii à Baccalaureis, aliisque Graduandis Theologis, &* si esset tale; dixit se consentire: *Respondit iterato supracitatus Pater nullam Formulari inesse difficultatem. Sequenti die dictus approbandus attulit memorato Ampl. acceptum à R. Patre Bolck Formulare, quod ubi vidit, dixit sæpe citatus Ampl. se numquam subsignaturum, nec consensu-*

sensurum ut sui Religiosi jurarent in supramentionatum Formulare. Actum 9. Sept. Anno 1692.

N. VAN LANGENDONCK Præsbyter.
AD. VAN SINAY Præsbyter S. T. B.

Hinc omnibus vidêre datur P. Gerardum Bolck imposuisse splendidè, ut ab Amplissimis DD. Diligemensi & Frigidi Montis famosi Formularis subscriptionem eliceret. Dilimensi quidem, falsò asseverando nullam Formulari difficultatem inesse, quam tamen inesse plurimam sciebat aut scire poterat. Identidem simulando Formulare illud simile esse Formulæ Academicæ. Deinde dum Prælato Frigidi Montis asseruit Amplissimum D. Diligemensem subsignasse, aut ad subsignandum plenè paratum. Id enim gestum sit, vel antequam Amplissimum D. Diligemensem subsignaturum intellexisset, & pessimè finxit: vel dum illum conditionatè solùm consensisse cognovit (quam conditionem minimè subesse non erat nescius) & absolutum simulando consensum malâ fide egit: vel postquam die sequenti mutatâ sententiâ conditionatum consensum absolutè vidit retractatum, & subdolè imposuit. Quam lubet partem, mi Gerarde, elige & lectorem æquum judicem habe.

2. *Prædictus Pater sæpius mecum egit de Formulari.* Et tamen prædictus Pater, scilicet Gerardus Bolck, in publica disputatione clarâ voce constanter *Protestatus est in fide Sacerdotis, tantum se uni soli Prælato Diligemensi de subscriptione famosi Formularis* SEMEL *occasionaliter esse locutum* Prout in meo pomeridiano facto deponunt testes 13. Absit tamen, ut vel ideo P. Bolck aperti mendacii, & perfidæ fidei Sacerdotem arguam: absit aut dicam quod Amplissimum Diligemensem Prælatum *mendacem facere audeat.* Quod nuperus ille anonymus in suo scurrili contra me scripto, effutire non erubuit: dum in eadem planè causa Eruditissimum D. Vande Nesse S Joannis in Molenbeca & S. Catharinæ Bruxellis Pastorem ut mendacem, & perjurum traduxit. Digressionem meam hac de re lector benevolus infra consulat.

Ego interim quo possum modo, P. Gerardum Bolck absolvo. *In fide Sacerdotis P. Bolck asseruit, quod tantùm* SEMEL, Amplissimus D. Prælatus optimâ sincerâque fide testatur quod SÆPIUS cum ipso de Formulari egerit. Ita sit: *semel* scilicet OCCASIONALITER, sed *sæpius* EXPRESSE. Sic P. Bolck fefellit levius.

3. *Prædictus Pater mihi dixit quod D. Ladersous paratus esset jurare in Formulare.* Hoc scilicet erat illud, quo audito mox Amplissimo Viro rescripsi. *Quisquis is est, aut ab alio malè informatus Amplitudine Vestræ detulit, aut ipse pessimè finxit.* Sed de hoc alias scripsi pluribus, nec in quæstionem nostram venit modo.

4. *Mihi*

4. *Mihi dixit quod Amplissimus D. Prælatus Frigidi Montis consentiret ut sui Religiosi jurarent in Formulare. postea attulit mihi subscriptionem præfati Prælati.* Et hoc ipsum malâ fide gestum est: vel enim Prælatum Frigidi Montis in Formulare consessisse fingebat, cum ut in prima scheda sua ait, *Prælato Frigidi Montis numquam fui locutus, saltem ex quo tempore cœpit moveri difficultas de Formulari:* vel Amplissimum Virum ad scriptionem noverat dolose inductum, falsò scilicet imponendo quod Amplissimus Diligemensis Formulari subscripturus foret. Quod falsum esse plus satis vidimus modo. Ita tamen actum ex supradictis plurimorum testimoniis patet, signanter RR.DD. Vande Nesse, Borremans, Langendonck & Van Sinay. *Postea attulit mihi subscriptionem præfati Prælati.* Scilicet post aliquot dierum intervallum tam fraudulenter obtentam: hanc Amplissimo Viro ostentabat inanis sui triumphi materiam. Hâc candidissimum Virum in suas partes trahere conabatur, opportunè importunè instans, ut & suam subscriptionem adjungeret, sed prudentissimum flectere non potuit mille modis & artibus mille: viso enim Formulari *mox significat* (verba sunt ipsius P. Gerardi Bolck art. 1.) *Se non permissurum ut Religiosus suus juret, se nolle esse unicum inter Abbates qui consentiat in juramentum* & infra, *se considerato Formulari statuisse non permittere ut sui Religiosi in illud jurent.*

Sic unius Amplissimi Frigidi Montis Formularis subscriptionem fraudulenter elicuit, qui Belgici Formularis Provinciam tam infeliciter assumpsit. Sed ecce haud multò post, doli & fraudis conscius Amplissimus Frigidi Montis deceptum se agnovit, obreptam suam subscriptionem sæpè sæpius repeti curavit. Religiosis suis juramentum in dictum Formulare interdixit. Certum modo ipsi erat suos numquam potius ad Sacros Ordines præsentare, quam ut in Formulare jurent, permittere. Hujus rei, luculentis aliis omissis testimoniis, ipse sibi fidem faciat P. Bolck qui hujus scriptiunculæ suæ articulo 1. sic ait: *Paulò post designato tempore adest Religiosus Frigidi Montis: exhibetur illi Formulare, rogatur ut juret: ille post aliquam tergiversationem subtristis fatetur Amplissimum suum Prælatum mutasse mentem, adfuisse ipsi aliquos Ecclesiasticos; denique non permittere ut juret.*

5. *D. Ladersous mecum egit de Formulari in Refugio nostro Bruxellensi, sed numquam ipsi scripsi.* Ita est. Iterum iterumque ac sæpius cum Amplissimo D. de Formulari Belgico contuli & pluribus egi. Ille mihi optimâ sinceràque fide, præsente D. De Cock enarravit quod de P. Bolck fideliter retuli: multa quidem ad rem nostram superaddens, quæ prætereo, cum in quæstione non sint. Id ipsum DD. supracitatis Langendonck & Van Sinay aliisque pluribus pro suo candore non celavit. *Sed numquam ipsi scripsi.* Nec erat necessarium scribere absenti, quæ præsenti plus satis exposuerat.

Ex quibus omnibus, mi Gerarde, per te liceat huic tuo articulo 3. titulum responsionis meæ supponere veriorem. *Calumnia à P. Gerardo Bolck non retorta, sed aucta vehementer.*

RESPONSIO
AD
ARTICULUM IV.

TItulus articuli est. *Responsio ad querelam D. Ladersous de impacto sibi Jansenismo.* Sed quam operosè respondet nihil; dum primo *Ianseni-stam* me ab ipso publicè proclamatum diffitetur. Dein dictum dissimulat sed excusat. Denique *Iansenistam* me insimulare palam satagit.

Num. 1. At,quî diffiteri ausit, à se in publica disputatione coram frequentissimo consessu,clarâ voce, iteratò dictum *audite Iansenistam publicè mentientem*: cum id omnium penè præsentium memoria referat; & in primo meo scripto plurimorum testimoniis confirmatum legat. Quâ fide ait *Hujus rei adducit testes omni exceptione apud ipsum majores, videlicet tres Ordinis Præmonstratensis Canonicos, tres S. T. B. F unumque fratrum tertiarum Beggardum:* & omittit, qui idem plenè attestantur P. Bonaventuram Van Dyck Ord. Min. S. T. Lectorem. P Henricum Bukentop ejusdem Ordinis S. Scripturæ Lectorem. P. Conradum Scheemakers S. T. Lectorem ac Præsidem Coll. tertii Ord. S. Francisci vulgo Beggardorum. Quâ fronte subjungit, *adducit etiam testimonium Ex. S. T Doctoris Ordinis Prædicatorum, qui in suo testimonio ita scribit: non dixit P. Bolck audite Iansenistam ublicè mentientem* & fraudulenter hæc verba supprimit: *Sed audivimus nendacia vel mentientem: quamquam videatur satis indicasse à se haberi oppug-antem pro Iansenista.* Et verè plus satis indicasti, mi Gerarde, quod de freuentissimo consessu negabit nemo, dum me *Iansenistam publicè mentien-tem* inclamabas, modo hæc *in cerebro Iansenistico effingere. fide Iansenisticâ ,erere ingeminabas &c.* Dum ad tua dicta intonabat disputationis Præses odalis tuus Masius, *Iam videmus quam sint Iansenistæ mali Philosophi & malevoli Theologi.* Dum postridie P. Responsalis procemialem in me ex-orsus Philippicam detonabat: *Audivistis heri Iansenistam splendidissimè men-tientem.* Dum denique fide tuâ & auctoritate sodalibus tuis quâ clam quâ palam verbo & scripto passim Jansenista dicor & audio. Sed hoc, mi Gerarde, minimè mirum, *accessorium sequitur suum principale.* Res mihi cum Jesuitis agitur, ergo *Iansenista* dicar necesse est.

Verùm

Verùm hâc tuâ ſcriptiunculâ dictum excuſas pluribus. *Suppoꝑamus*, inquis, *fuiſſe dictum à me audite Janſeniſtam publicè mentientem . agebatur tunc de mendaciis ac impoſturis Janſeniſtarum . . . ſermo fiebat de mendaciis ac impoſturis Janſeniſtarum. Janſeniſtas tanquam mendaces traduci non ferens D. Laderſous, publicè mentiebatur ac ſplendidè. Clamaverim ego audite Janſeniſtam publicè mentientem*, &c. Sed tua hæc defenſio te premit fortius: dum non modo me, ſed ipſos Eximios DD. Lovanienſes Janſeniſtas ſcribis & dicis: agebatur enim tunc, de ſolis DD. Lovanienſibus, quorum fide & auctoritate à priori oppugnante ex-ordine FF. Minorum relata, & à me dein confirmata, meminiſti & modo vera noſti. Ad hæc Diſputationis Præſes, ut in facto meo ſupra 20. teſtibus confirmatum legis, inverecundè & inclementer nimis, iteratò repoſuit quod *Eximii illi, mendaces & impoſtores ſint, non tantum utentes reſtrictione mentali ſed ſplendidiſſima mendacia ſpargentes*. Sed me vindice non egent Viri *Eximii*.

Ad me, tecum redeo, quem hic à Janſeniſmo abſolvis dicens: *Ita intelligi debeo ſi dixerim audite Janſeniſtam publicè mentientem, id eſt audite mentientem adinſtar Janſeniſtæ*. Quam bellè! quam acutè! Laderſous eſt Janſeniſta, id eſt, mentitur adinſtar Janſeniſtæ. O inauditus hactenus & novæ artis Janſeniſmus! Verum iſtud ego non capio, quod non minus frivolè, quam operosè à Te hîc dictum refellas, & ubique me *Janſeniſmi* arguas. *Janſeniſta* enim à Te, Tuiſque Sodalibus apud ſummos infirmosque utriuſque ſexus, neſcio quibus figmentis & præſtigiis traducor. Modò verus *Janſeniſta* re & nomine indigitor. Modo audio *Janſeniſtulus*. Modo *hyper Janſeniſta* dicor. Modo *novus Pharao* in Porco, qui non novit Joſeph. *Jeſuitas* ſcilicet. O Joſeph! Modo ſcribor *Janſenianæ arboris præclarus ſurculus*. Adeo *Janſeniſta* inclareſco, ut ad nuperum meum Bruxellis occurſum, veſtalis quædam veſtra ſigno Crucis ſe muniiſse feratur. Tam terribilis eſt *Laderſouſius*.

Nunc male-gratus proclamor: quaſi Jeſuitarum gratiâ ſim id, quod ſum. Turpe eſt ab aliis Laudes detrahere, ut ſuas accumulemus. Si ille forem, quem me expletis inferioribus ſtudiis cupiebatis, totum deberem: quiſquis modo ſum, nulli Jeſuitæ debeo: & ſi quis ero, niſi vehementer fallar, nunquam debebo.

Alibi non nugaris quidem, mi Gerarde, dum me verſipelli audaciâ apud Viros honoratos (qui nocturnos Veſtros lemures jam pridem norunt) criminaris, ad invidiam meam falò & ſubdolè fingendo quod lubet. Meminiſſe potes qualem me dixeris, ſcis ubi, quando, cui. Ignoſcat Deus. Heu quantum bilis ubique evomis: neſcio quod de me mali, vel apud quos augureris: dum Tuo Te judicio *altipotentem Ieſuitam* Bruxellis inſolenter jactas. Conclamatum eſt contra Laderſouſium. *Ianſeniſta*

nista est. O terriculamenta! Noli minari Pater Bone, parce subjecto. Apud alios te mei miseret, & perditæ fortunæ juvenem me deploras. *Non enim*, inquis, *perplacet Jansenist's, nec nobis modo.* O me ter miserum & hominem perditum!

Sic ego colore vario, ex Tua Tuorumque Sodalium aspergor divite fidelia. Omnibus omnia, per Te tuosque fit *Laersousius*, modo vapulet. Vapulet usque licet, mi Gerarde, & de *Laderjousio* senti & dic quod lubet, dummodo sua eum conscientia non accuset. Ater Tibi tuisque vel albus sim, minùs refert. Cum ut scripsi aliàs nec vos angat, quis sub Jansenismi larva vapulet, dummodo invisum vobis feriatis. Rem hanc facilè est exemplis illustrare, sed passim nota sunt.

Verum, Mi Gerarde, effare & planiùs loquere; qualem Tu me tuique *Jansenistam* vultis & dicitis? Plurima enim hodie Jansenistarum genera, & Jansenismi circumferuntur prædicamenta.

Jansenistarum variæ species appositè distinguuntur in famoso libro Gallico, DICTIONAIRE UNIVERSEL, par Messire Antoine FURETIERE Abbé de Chalivoy, de l'Academie Françoise: tom. 2. ubi ad vocabulum *Janseniste* sic habet.

Celuy qui suit le partis & la doctrine de Jansenius. On le dit aussi de ceux qui affectent une grande severité dans leur maniere de vivre, & une grande austerité dans leurs mœurs, & dans leur doctrine. Ainsi on appelle plusieurs personnes devotes & reformées, des Jansenistes, qui ne connoissent point Iansenius. Le femmes ont appellé aussi Iansenistes des poignets qu'elles mettoient par modestie pour cacher leurs bras.

Quod primæ speciei *Iansenista*, mi Gerarde, ne tibi quidem sim, tua confessio, & res ipsa loquitur. Dum ita scribis pag. 14. *Nunc vero cum nequidem actum fuerit de doctrina, nec sciam quid doceat aut censeat Phelosophiæ Professor, quis suspicetur me voluisse significare quod sit Iansenista quoad doctrinam?* Dum & ego famosas 5. Propositiones dudum palam rejeci, ut hæreticas ejuravi. Dum constitutionem *Innocentii X.* formulam *Alexandri VII.* vel ad apicem amplector & veneror. Vide Latius in primo scripto, litteras meas ad Amplissimum Diligemensem. Epistolam meam ad Sodalem tuum P. Van Outers num. 7. Symbolum Masianum, quod nuper exhibui ad articulum 3.

Secundæ aut tertiæ speciei *Iansenista*, facile dicetur quivis Theologiæ purioris & arctioris vitæ sectator, etsi in Ecclesia Doctissimus & Sanctissimus. *Hyper Iansenista* audiet hyeronimus, Gregorius, Augustinus &c. Talis utinam, mi Gerarde, vel forem *Iansenistelus.*

Jansenistarum quarta species fæminea tota est, nec omnino absona.

Ex. P. ac M. Petrus Clenaerts Ord. Erem S. P. Augustini Sacræ Theologiæ Doctor, attestante Reverendo Patre Josepho De Reuex Societatis

cietatis Jesu in Thesibus suis 1688. mense Decembri; *publicè dixit & attentis circumstantiis minimè ironicè Dixit, nullos passim hodie ut Jansenistas traduci, quam optimos gratiæ efficacis defensores.* Quod ipsum in suis sparsim Thesibus gratiæ per se efficacis defensores, ex ordine Sancti Dominici, Carmel Discal. sæpe sepius altè questi sunt, ut in *Symbolo* nupero ad articulum 3. ostendi pluribus. Ita est, mi Gerarde, cum omnibus SS. Augustini & Thomæ discipulis, gratiæ per se efficacis assertorem me ingenue profiteor. Talis tibi tuisque *Jansenista* sim, non repugno.

Testimonio & Authoritate Eminentissimi ac reverendissimi Domini Josephi SAENZ DE AGUIRRE S. R.E. Cardinalis. Hodie *Jansenistæ* audiunt viri in Ecclesia optimè meriti, licet nullo fermento hæreseos aut Doctrinæ errore aspersi, qui Ecclesiæ disciplinam laxitate novarum opinionum extenuatam, instaurare curant. Ita habet Vir Eminentissimus (aures arrigat fictitius nuperus F. de claireau) in dissertationibus suis Ecclesiasticis in collec. Isidorianam Concil. &c. Vix tribus ab hinc mensibus Romæ editis ad rationem sui operis num. 2 *Laudandus cardinalis Bellarminus qui Disciplinam veterum Sacrorum Canonum, laxitate novarum opinionum extenuatam atque impetitam instaurare curavit:* num. 24 *Bellarmini Vestigia pressit Cardinalis Sfortia Palavicinus ..., Et reverendissimus Pater Thyrsus* GONZALES *Generalis Societatis Jesu, primarius olim Theologiæ Professor in Salmaticensi Academia, Eandem fere utriusqueCardinalis sententiam ex instituto sequens cum Michaele Elizalde alias cella-Dei: & multis aliis Doctis hominibus ejusdem instituti, quorum scripta parantur suo tempore in lucem proditura.* Num. 37 *exeat nunc aliquis recentiorum quorumdam, & propterea Bellarminum*, & reverendissimum Patrem Thyrsum Gonzales Soc. Jesu præpositum generalem, JANSENISMI *aut* BAJANSMI *arguat: hanc enim notam ex eodem doctrinæ morum sæverioris capite inurere ausi sunt nonnulli, plurimis aliis Catholicissimis Episcopis, Prælatis, Doctoribus & scriptoribus: licet nullo fermento Hereseos aut Doctrinæ erroneæ aspersis, & palam rejicientibus illas 5. Famosas Theses ab Innocentio X. & Alexandro VII. fulguratas. Atque in iis Illustrissimo fagnano, quo neminem in Sacris Canonibus Doctorem aut celebriorem ætas nostra tulit. Sed Calumnia ejusmodi dum linguario oribus quorumdam injecto cærceri nequit, contemptu aut risu exsibilanda erit.* Quam vellem, cum præclarissimis illis Societatis Viris, cum ipso Reverendissimo Patre generali, gloriosè talis *Jansenista* digito demonstrari, & dicier hic est.

At fortè, Tua Tibi tuorumque Sodalium arridet magis nova planè & inaudita vocabuli *Jansenista* institutio & mira acceptio. Et illam lubet audire.

Tibi stat *Jansenista* pro splendidè mendaci, Dum enim *Jansenistam*

 me

me publicè nuncupasti: *ita intelligi debeo*, inquis, Te ipsum apologeticè exponens, *audite mentientem ad instar Jansenistæ.* Hanc Jansenistæ acceptionem vulgatissimo, ut ais & fingis in Gallia Proverbio, non serie, confirmas *mentitur ad instar Jansenistæ.* In Gallia, mi Gerarde, peregrinus sum. Illud novi à puero longè receptissimum in Belgio *T' is eenen Jesuiten treck.* Capin ? Illud mecum scis modò perusitatum, quod splendidè mentiens & apertè calumnians MASIUS nuncupetur. Intelligenti pauca. adeo ut populare penè Proverbium obtineat, dum quis de splendido mendacio seu Jansenismo tuo convictus est. *Hic habet, captus est, est* MAES. Sanè, si mendax, mi Gerarde, & Jansenista tibi synonima sint, quantum ego te *Jansenistum* ostendi modo; ut scriptiuncula tua, meaque hæc responsio plus satis produnt. Quantum Sodalem tuum *Alexandrum Maes hyper Iansenistam* evici, cujus *Iansenismi* schema seu 12. Mendaciorum symbolum nuper exhibui, & LADERSOUSANDO strenuè, hominis, cujus nomen præfert R.P. Alexandri Maes, indolem probavi. O *Iansenistarum* par nobile Bolck & Maes! O me *Anti-Iansenistam!* qui te, tuumque hunc Sodalem LADERSOUSANDO, vos Jansenismi reos & victos teneo, condemno, anathematizo.

Nuper Sodalis tuus non gregarius & Collega Bruxellensis, prolixiorem de *Iansenistis* in via Mechliniensi sermonem intrudens, *Iansenistam* hominem esse ajebat, *qui habet Deum in ore, & Diabolum in corde.* Quam belle! Heu me quod ante Jansenium non extitere Jansenistæ! At, si ex abundantia cordis os loquitur, & ex fructibus homo cognoscendus sit, quomodo Jansenianos inter & Jesuiticos distinguet? Quo collyrio lippos suos inunxit? Quibus opticis arcana mentis & cordis rimatus est? Quæ soli altissimo patêre credideram. Si talem me, Gerarde, *Iansenistam* velis, eloquere. Diabolum cordis mei nostin ? Ecquod ei nomen ? *Belzebub*? An fortè etiam *legio* ? &c.

Sodalis tuus alter P. Van Outers, in utraque sua Epistola me Jansenismi arguit: quia dixi quod in Formulare Belgicum seu notas & additiones ad Alexandri VII. Formulam jurare, mea hactenus non ferret conscientia. Etsi & tunc palam Formulam Alexandri professus sim: quamvis in litteris meis ad Amplissimum Diligemensem ante legerit. *Ego omnium & singulorum RR. PP. Decreta, Constitutiones, Bullas, vel ad apicem amplector & veneror.* Quamvis & isthic habeat *si tamen has notas & additiones approbando aut confirmando Romana Sedes proponat, per omnia & in omnibus sincerum me obedientiæ filium exhibebo.* Exclamat nihilominus Epistolæ suæ 2. fol. 13. *Quid jam amplius præstat Ladersousius quam præstet Iansenista quivis juratissimus, atque Arnaldus ipse. Hac sua subjectione à Iansenio non avellitur &c.* Ergo juratissimus Iansenista sum, quia per omnia & in omnibus

nibus Romanæ Sedi, verâ, totali, plenâ, perfectâ ac integrâ me subjicio obedientiâ. Quot mihi sunt, non modo è Clero, sed vel ex Religiosis Ordinibus, doctrina eximii, pietate spectabiles in hoc meo *Iansenismo* gloriosi socii; qui in Belgicum Formulare jurare recusant, Romanæ Sedis explorantes judicium. Sunt è Clero in hac Academia nostra Eximii Sacræ Theologiæ & Clarissimi Iuris Utriusque Doctores. Sunt Eruditissimi Sacræ Theologiæ & Iurisprudentiæ Licentiati. Doctissimi scientiarum omnium Professores, Collegiorum Præsides & alumni. Sunt in Belgio Canonici plurimi, Metropolitici, Cathedrales, Collegiati, Parochiarum Plebani, per Diœceses Belgii Pastores, Ecclesiastici prope innumeri. Sunt è Religiosis Ordinibus integri cœtus, Amplissimi Abbates, aliorumque ordinum Superiores Religiosi &c. Quos ille omnes juratissimos mecum *Iansenistas* dicat necesse est. Ergo, mi Gerarde, tibi tuisque juratissimus sum Iansenista Belgicus, etsi juratissimus Anti-Iansenista Romanus. Desinent spero coaxare ranæ, dum Roma tonabit. Ubi ex urbe rescripta venerint, æque gratanter recepturus sum, sive à veritate devios Sedes Apostolica in viam reduxerit, sive rectè sentientes sua auctoritate firmaverit.

Eidem Sodali tuo *Iansenista* dicor: quia ad Epistolæ meæ calcem subscripseram *in Veritate & Charitate studiosissimus tui*. Sic enim habet Epistola sua 2. fol. 17. *Iansenianam tesseram non semel adoptat in veritate & charitate, plus satis notum est quali, & non vult audire Iansenista.* Quid dilutiùs & ineptiùs! *Iansenista* sum, quia Iesuitæ dixi me *in Veritate & Charitate* (quæ Iansenii tessera est) studiosissimum. Rectius enimverò *Iesuita* sum, qui Societatis Vestræ lemma non de consilio sed ex præcepto adoptavi AD MAIOREM DEI GLORIAM. Quidni & ipsum Augustinum hyper Iansenistam dixerit, qui Veritatis & Charitatis Doctor nuncupatur. Cui nihil familiarius, quàm istud veritas & charitas. Det mihi Deus ut in *Augustiniana* veritate & *Ignatiana* charitate *ad Majorem Dei Gloriam* Iansenista vivam & moriar. Utinam tales omnes *Iansenistæ* nominemur & simus!

Infamis utraque *Iansenismi* nupera *tabula*, nescio quos *Iansenistas* fingat & cudat: dum optimum quemque *Iansenismi* arguit, & præclarissimorum virorum famam, quorum Integritas omnibus perspecta est, atrocissimis calumniis discerpit: adeo ut & ipse Ex P. PETRUS CLENAERTS Ord. Erem. S. P. Augustini S. T. D. &c. in sua Theologia Universa cui hodie 12. Augusti præsidet, ad supplementum Articuli III. & IV. dicere audeat. *Ideo à viris plurimis etiam Iansenismo infensissimis culpatur, & quidem eatenus rectè culpatur utraque famosa* IANSENISMI *tabula, quod præcipuas scholæ Augustinianæ, & Lovaniensis, & infinitorum catholicæ*

tholicorum sententias citet sub IANSENISMO, *quod est contra mandatum papale.* Et tamen nonnullus Eximius Doctor alter, coram ipsa Sacra Facultate declarasse fertur, *Illustrissimum Archiepiscopum Mechlinien sem adoptasse eum Libellum ut suum; gradus illius & titulos in ordinem digessisse, in urbem misisse.* Quid ergo? quidquamne (quod absit) CONTRA MANDATUM PAPALE, Illustrissimus Belgii primas ADOPTET? Litem dirimant *Petrus* & *Martinus*; qui dum secum pugnant, se sibi reconcilient.

Ita, mi Gerarde, tibi tuisque in re tanta ludere volupe est: dum nescio quos qualesve *Iansenistas* fingitis, refingitis; dum invisum quemvis vobis, vel ipsas mulierculas *Iansenianas* nuncupatis. Sanè non modo qui amant, sed & qui odiunt, *ipsi sibi somnia fingunt:* fatale nomen *Iansenista*, est, etiam dum procul abest omen. Crimen est penè omnium, nullum crimen habentium. Qui enim non audit *Iesuiticus*, quisquis is est, Iesuitis est *Iansenianus.* Sic fert modus. Sic & *Ladersousius* Iansenista dicor & scribor. quia unum alterumve, ex æquo & vero nimium lacessitus Iesuitam *Ladersousavi.* Hæc meorum summa est criminum. Sim, sim *Iansenista Iesuiticus*, qui sum *Anti-Iansenista Pontificius.*

CONCLUSIO

DEsines, confido, deinceps mi Gerarde, & tecum Sodales tui, *mendacem me, impostorem, calumniatorem, Iansenistam* palam proclamare, & ut talem scriptis publicis traducere: ubi ex responsione mea ad *articulum primum*; intellexeris me nimium lacessitum te Duce, te auctore in certamen hoc vel invitè descendisse. Ubi ad *articulum secundum* legeris, quæ de te in nupera disputatione coactè enarravi, non tuâ fide conficta, aut asserta meâ affirmatione, sed præsentium plurimorum auctoritate allegata. Dum hæc ipsa à me ex verò, optimâque fide relata, *ad articulum tertium* ex ipsis plurimorum testimoniis & argumentis comprobata didiceris. Denique in responsione mea ad *articulum quartum* vides, si modo oculos habeas, quod non nisi sub *Iansenismi* nescio qua larva tibi, & per te aliis vapulem. *Dabit Deus his quoque finem.*

Atque ex his quidem, non mihi modo qui adversarii, non Iudicis partes ago, sed moderati ingenii hominibus planum fit: quia tam Iustè quam coactè LADERSOUSAVI te. Habes mi Gerarde, captus es, ES MAES. Vides in quas te Angustias conjeceris, dum quantulumcumque famæ ex primæ tuæ scedulæ naufragio reliquum, hâc secundâ scriptiunculâ ad extremum obruisti. Scripturarum proinde, quas citas plures sententias non male feceris, si tibi applices: & cum sphalmista Dicas *bonum est quia*

humi-

humiliasti me Domine. Vide interim, ad quid Statuta Societatis vestræ (quæ te saltem probè scire & servare oportet) te obligent, cum decretum 19. Congreg. 12. ita habeat: *Censuit Congregatio ipso etiam Patre nostro postulante, si contigerit unquam quempiam è nostris etiam alios quoscumque externos, vel lingua vel calamo, aut alia quacumque ratione offendere aut aliam offensionis causam dare. 1. ut in illum Superiores diligenter inquirant, quâque par est severitâte animadvertant, nihilq; hujusmodi impunitum relinquant. 2. ut curent iis, qui se læsos æstimare merito putaverint, debitam satisfactionem quam primum exhiberi.*

Sin autem & posthac calumniari sit animus, (*linguam nullus hominum domare potest* Epist. Jac. cap. 3.) contumeliare quantum potes, hoc enim quilibet contumeliosus potest: unum hoc deprecor, ne in alios sæviatis, ne, si quas debeo, alii pro me pænas dent.

Me me adsum qui feci, in me conjicite ferrum Ne quæso à lycæo nostro Porcensi (cum teste Nicolao Vernulæo in sua Academia Lovaniensi, *Leonardum Lessium*, alias Leonardum Leys Brechtanum *Gymnasio nostro Porcensi acceptum debeat Societas Iesu, qui ex eo litterarum & Philosophiæ cognitionem, primum suæ famæ incrementum reportavit*, utpote in generali pædagogiorum omnium concursu anno 1572. 19. Februarii, primus denuntiatus) ne ab hoc lycæo studiosam juventutem, quam ad exteras Academias, aut furtivas lectiones Philosophicas seducere non valetis, artibus vestris & argutiis divertite. Vindices præposteri: quia hic hostis noster acerrimus LADERSOUSIUS, novus *Pharao in Porco*, qui non novit *Iesuitas*, nobis magistris ejus malegratus Discipulus, *Iansenista* Iuratissimus: quia istic, pudet referre (ut Pædagogium nostrum exteris vilescat, vel ipsis etiam inimicis suis gloriosum) ignobiles & pauperculi *Standonici*, nobiliori immixti Iuventuti eodem in Loco Philosophicas Lectiones excipiunt. Nolite, quæso, pauperes *Standonicos* aspernari, qui forte Sadoles tui eodem vobiscum Institutore gaudent bono Patre JOANNE STANDONC MECHLINIENSI, cujus Pater sutor erat. Id enim prætendit *D. Ioannes Boulese Presbyter & Professor Sacrarum Litterarum*, Sancto Ignatio Coævus, Societatem suam sumere originem non à S. Ignatio, sed à bono Patre STANDONC Collegii Montis Acuti in gallia, & Domus Standonicæ Lovanii Fundatore: id inquam prætendit in libro suo gallico *Le thresor & entiere Histoire de la triomphante victoire du Corps de Dieu &c.* impresso Parisiis *chez Nicolas de Chesnau, ruë Saint Iacques, à chesne verd.* qui ipsi Gregorio XIII. Pontifici Maximo dedicatus est: in quo libro ad marginem fol. 9. hæc annotatio *Origo Sacerdotum Societatis Iesu, à Collegio Montis acuti.* Et in textu pluribus prosequitur.

Si itaque forte sitis *Standonici Divites*, pauperum commiserantes Sodalium, sinon dimidium, superfluum saltem seu exerescentias bonorum elargimini; ne *Standonicorum Pauperum* PATER RECTOR ad id vos Jure adigat.

 DI-

DIGRESSIO
AD
Ex. P. PETRUM CLENAERTS S. T. D.

Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter. Prov. 10. v. 9.

EXIMIE PATER

PRæloquium quod ad me in nuperarum Theſium fronte aſſuiſti, quiſquis mecum inſpexit, mirari mecum ſatis non potuit; dum mire Rhetorem agens peroras, *ita me* DOCTOREM *Baccalaureæ impetis, ut ſi injurias vellem deſcribere, deficeret ſtylus, ſi prædicare, lingua, ſi ponderare, ſtatera.* Papæ! quanta quanta hyperbole, qua *imaginarias* injurias effers ſupra modum. Liceat hic mihi heſternas tuas geminatas phraſes regerere, *mihi & lectori lapides loqueris, oleum è pumice diſtillas, Æthiopem lavas, ferisque aera*: tantâ enim te à me affectum injuriâ, qua ratione querare, non capio. Quod enim vel in ſpeciem injurioſum videri poſſet, unum & ſummum eſt, te tuoque fatente vindice, quod paginâ primi ſcripti mei duodecimâ falsè dixerim, *O infelix aſtutia! quæ teſtes abſentes adhibes; vel unum enim de frequentiſſimo conſeſſu appello qui Ex. P. M. Clenaerts à meridie, dum quæ atteſtatur peracta ſunt, præſentem vidit vel audivit*: quod quidem ipſum dum ſiniſtrè intelligis, de te abſolutè dictum *imaginariè* viſum eſt. ita aërem verberas, vel cum umbris pugnas in *campis cuticulindoniis*.

Cum enim in calumnioſa adverſarii mei ſcedula ementitum factum ſine fide, ſine teſte legerem: cum & paſſim Jeſuitas gloriari, & ſpargere audirem, aliam facti ſpeciem penes ſe extare quâ jugularer, quæque incitante & conſulente Ex. P. Clenaerts confecta, eoque per omnia primo ſubſcribente confirmata ſit; iis qui primum referebant, fidem omnem non habui; aſſerentibus aliis pluribus, habere debui vel invitus: ſed eâdem fide, id eſt nullâ opinabar hoc ſparſum, quâ primum factum confictum videram. Neque enim ego te, Pater Ex. neque de frequentiſſimo conſeſſu ullus præſentem notaverat: plurimos facilè duodenas excedentes, qui in diverſis ſcholæ partibus ſpectatores adſtiterant, acceſſi: qui te ullo ſenſu perceperit reperi neminem, ne modo quidem. Quod enim larvatus vindex tuus aliquot ordine Jeſuitas adducat (cum teſtes alios non haberet) qui fuſioribus ſuis teſtimoniis præſentem te fuiſſe perhibent. quid dilutius & ineptius! Teſtantur Jeſuitæ patrem M. Clenaerts præſentem, ut quæ hic præſens audiviſſe putat, pro Jeſuitis deponat.

Ad hæc ego exclamavi. *O infelix aſtutia* adverſarii mei ſcilicet, *quæ teſtes abſentes adhibes*, dum nimirum gloriatur Ex. P. Clenaerts in me tuliſſe teſtimonium, qui teſtium omnium præſentium oculos fugerat. Unicum

reſtabat

restabat effugium, quo adversarius elabi posse videbatur: quod prævertens dixi, *At forte v.r Eximius ad ostium, vel ad cancellos in odeo absens spectator fuit.* Hoc injuriosum nimis reputans reposui: *Suspicari non ausim, quod loco tali Eximius Doctor Academicus mihi Academico in insidiis lateret.*

Itaque Ex. P. neutiquam *infami ementiti testis stigmate te honoravi*, adversarii mei fidem suspectam habui, quod de absentibus testibus gloriaretur: cum præsentem te, ut testari posses, observaverit nemo. Si tamen testatus fores, quod ægre credideram, testantem quo licuit modo, ipse purgavi, *at forte Vir Eximius ad ostium vel ad cancellos &c.*

Verum cum ingenuè fatentem te audiam. Quod meâ sponte suspicari ausus non essem; scilicet SACRÆ THOLOGIÆ DOCTOREM AC PROFESSOREM in ultimo Scholæ angulo, post cancellos latitasse, fidem habeo: & auritum te ac oculatum testem lubens agnosco. Interim testimonium tuum, *narrativam fidelem & sinceram*, non assequor per omnia.

Eximius Collega tuus P. Pauwens Sacræ Th. D. ac Studii Regens, mihi Præsidique vicinissimus, altè intendens, gestorum optimè conscius, iterato à PP. Societatis petitum, iterato negavit testimonium. Tu offers ultro.

Reverendo P. De la Fontaine Societatis Jesu opportunè importunè instanti, in hac ipsa causa attestationem scripto negas illorum, quæ ab Eximio D. Hennebel furtim audita (scilicet quæ ego de Patre Bolck recensueram) quam festinatò licuit (credo quod sincerè & fideliter) Jesuitis detuleras. Contra me & verbo & scripto deponis primus.

Plurimos ego, tum Religiosos, tum Sæculares adii, qui in medio Scholæ consistentes vel Cathedræ viciniores, erectis auribus intentique ora tenebant: Qui tamen utrimque dicta, ne ad dimidium percepisse se uno ore profitentur omnes. Sanè per quam auritus sis oportet, qui omnium remotissimus in ultimo Scholæ angulo vel ad iota percepisti singula.

Qui post te proposito facto iterum iterumq; rogati subscripsère, omnibus spectabiles testes è toto consessu propinquiores, ad unum omnes subscriptionibus suis facti speciem limitant, restringunt, mutant, &c. ad litteram subscribis inter omnes.

Unus motu proprio & Zelo adjungis, *addidit Doctissimus D oppugnans particulam* MENDACITER. Quis illius testimonium requisivit? Ego sa è requisivi à pluribus, qui à me additam particulam *mendaciter* perhibere possent: testem secundum inveni neminem, nec inventum iri alterum certus sum, qui testari id velit aut possit. *Sed regulariter unius testimonium invalidum est.*

Sanè ex his omnibus, nemo non testimonium tuum grave olens dixerit: hujus tamen in nuperis Thesibus rationem dare juri publico niteris dum in me publicè inveheris.

17. *Elapsi Junii*, inquis, *dixisti varia quæ utinam siluisses, res non est levinscula*

vinscula, in confessu publico Societatem Jesu diffamare. Sanè res leviuscula non est, tantum crimen innocenti imponere. Nusquam ego aut umquam Societatem Jesu diffamavi. Indignitas summa est ad hoc genus fallaciæ devolvi, ut illud quod speciatim in Jesuitam unum aliquem conjeci, in omnes generatim Jesuitas & in totam Societatem collata fingas. Quæ ratiocinatio si valeat, facile efficietur in Augustinianos omnes dicta esse, quæ in te unum à Rev. P. Josepho De Reux Societatis Jesu Sacræ Theologiæ Professore Thesibus suis Decembri 1688. & Julio 1689. scripta indignantes legimus. Imo si referente eodem P. De Reux Thesi suâ mensis Decembris 1688. *Alium Magistrum haud ita pridem tuum*, ordinis vestri magnum Decus, *Publicè nominaveris, dixerisque semper fuisse de Jansenismo suspectum.* Jam, Egregie tuorum defensor, ordinem tuum universum de Jansenismo suspectum facis: sin & hic Patrem de Reux pro impostore & calumniatore habeas, jam tuâ dialecticâ Societatem Jesu diffamas, imposturæ & calumniæ notam inuris, *quam fama non patitur sacræ militiæ.* Sic tuo te laqueo induis, tuisque argutiis caperis.

Quæris dein, *ut quid unice de tempore loqueris pomeridino, Phytagorici sub urna silentii recondens matutinum?* Quia scilicet vix mihi tecum vel cum adversario meo de Matutino tempore lis est: tunc enim præsentem te omnes vidimus & agnovimus, atque ita Ex. D. V. cum reliquis vix quinque primis prolixioris facti lineis subscribentem testem veneramur. De pomeridiano tempore nos inter questio vertitur.

Attamen, inquis, *& à meridie præsens fui in Sodalitatis Odeo*; istud ego non credideram hactenus, vix suspicari ausus. Quid! quod *Sacræ Th. D. Historiographi regii Episcoporum Belgii ad SS. D. N. Gloriosi Regiminis Innocentium XII. Deputati vicarium*, (qui cum non habeat discipulos, utinam vel haberet discipulorum *Vicarios*) *historiarum Professorem publicum in Universitate Lovaniensi*, in perantiquâ, Prænobili, ac Celeberrima Ducali Abbatia D. Gertrudis Lovanii emeritum Sacræ Th. Exlectorem ipsi Jesuitæ Masio (multum est laudari à laudato Viro) *Doctorem Academicum ac Professorem Domi forisque celeberrimum*, quod inquam talem tantumque virum ad cancellatum antrum, ad scholæ remotissimum angulum relegent? In urbarum factum! Quis hoc à Jesuitis politioris vitæ viris exspectarit unquam?

Et ante & post meridiem, ais, *prævie dixi, à meridie compariturum me, non tamen argumentaturum multitudinis gratiâ.* Si de præteritis augurari licet futura, suspicari debebam compariturum & argumentaturum te. Quoties enim vel eodem die bis, & si licuisset ter quater, ad disputationes PP. Societatis cursitantem vidimus ut iterares argumenta. Et verè si non argumentaturus, saltem spectaturus, si non *exercitio*, saltem *Scholæ Patrum Societatis bonori deputatus*, utpote *Eximius actu docens* comparere poteras, & in sella altiori gravi tuo solito consessu venerabilis spectator assidêre. Si de frequentissimo Auditorio Ex. D. V. præsentem observasset unus (prout te

nuperè

nuperè è suggestu S. Petri ex Pastorali Epistola, magno cum Zelo utinam & cum fructu convertentem hæreticos universum spectavit Lovanium) nunquam ego exclamassem. *O infelix astutia, quæ testes absentes adhibes.*

Interim, concludis, *animitus tibi condono singula.* Scilicet non condonanda. *Et si contingat quod Sacra Facultas Mater mea & tua nollet te ad gradum altiorem admittere, nisi juxta decretum Academicum mihi satisfacias*, &c. Decreta Academica rectius noveris, dum in strictius Collegium Sacræ Facultatis assumptus, accuratius pervolveris: quod quidem te nuper etiam post 20. tantum annos voto publico præsentibus tribus N. N. exoptasse intelligo; sed vota tua prævertat Deus, si modo Academiæ nostræ & Sacræ Facultati necessarius aut utilis existas. *Imo si hoc unquam fiat, ego personaliter primo singulos Eximios, dein totum Sacrum Collegium in Corpore congegatum supplex accedam, ne te ad veniæ petitionem vel aliquam satisfactionem compellat.* Qua gratiarum actione, & quibus beneficiis remunerabor hunc affectum! Unum hoc, Pater Eximie, deprecor: ut quam pro me curam geris, pro me deponas. Quantum enim apud singulos Eximios, quantum apud totum Sacrum Collegium in corpore congregatum, verbo valeas & opere, planè scio. Si quid vales, hi pro te apud Patriæ Patrem Perillustrem ac Reverendissimum Dominum CLAUDIUM FRANCISCUM DE LA VIEFVILLE intercessores existant. Ego interim quam tibi satisfactionem debeo, omnem lubens plenè exsolvam: dum quod rogitas *Deum pro te veneror*, ut nuperum tuum votum ex Psal. 140. propitius confirmet. *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Sed QUAM MULTI, UT DICITUR, MUTANT CASACCAM!

DIGRESSIO
AD
LARVATUM VINDICEM
Eximii P. PETRI CLENAERTS S.T.D.

Qui malè agit, odit lucem. Joannis 3. v. 20.

QUid lucem times Tenebrio, nocturne aquila? Quid infamem libellum tuum nuperum, quem inscribis *Brevis confutatio insignis calumniæ à D. Ladersous Facultatis Artium Professore Lovanii, subdolè, nequiter, mendaciterque impactæ Eximio P. ac Magistro nostro Petro Clenaerts in Alma Universitate Lovaniensi S. Theologiæ Doctori & Professori, Auctore Theologo, Academico Almæ Universitatis Lovaniensis.* Quid hunc inquam fœtum tuum,

 sup-

suppresso nomine erubescis? Neque tu mihi, opinor, tametsi nomen dissimules, neque ego prorsus ignotus sum tibi. *Theologum* te dicis *Academicum*, dic quondam aut verius *nunquam*: qui dum larvatum agis vindicem, apertum te prodis calumniatorem. Sane tali vindice egebat Vir Eximius, qui te acrem Philosophum scilicet, egregium Oratorem, & Rhetorem insignem in hoc scribendi genere comprobas, dum orationis tuæ partes aptè concinnéque construens, in *exordio*, *confirmatione*, *& epilogo* disparatas planè causas grallatoriè comminisces.

Exordium instruis *invectivum* in Reverendum Admodum ac Eruditissimum Dominum Guilielmum Vande Nesse S. T. L. Sancti Joannis in Molenbeca & Sanctæ Catharinæ Bruxellis Pastorem. Hunc tu virum, emeritum Theologum, Sacerdotem, in urbe Bruxellensi Parochum, cujus famæ laudique omnes boni suffragantur, quique suo potius nomine quam meis laudibus commendabilis existit: Hunc tu, inquam, Virum *Jansenistam* impudenter dicis, hunc aperti splendidique mendacii, per insignem calumniam insimulas; hunc tu, inquam (horresco referens) perfidum ac perjurum caput sustines: dum infami Libello tuo perjurii Dicam palam ipsi scribere non verêris. Tua tibi verba habe &, nisi frontem perdideris, erubesce. *Siccine jam non mentiri modo, sed & pejerare pro nequitiæ suæ propugnatione, & patricinio à Jansenistis pro nihilo ducitur, putaturque! hæc ille vir solemni juramento firmare non erubescit, quæ dixisse se negat pernegatque Ampl. Prælatus Frigidi Montis .... quodque magis mirêre Ampl. Frigidi Montis Prælatum mendacem facere audet.*

Quid vero tandem fuit, in quo talem tantumque virum de perjurio culpandum censeres? *Paratus* scilicet *est in favorem justitiæ solemni juramento, si opus fuerit affirmare*, quæ ab Ampl. Domino Frigidi Montis excepisse se testatur. Hæc, vel te fatente criminis summa est. At Vir Ampl. Senex optimus, quem dictorum ætas grandis facilè immemorem reddit, id à se dictum dato testimonio diffitetur. Ergo perjurii reus & convictus Pastor Eruditissimus? Quid dilutius & ineptius! Argumentum simile quis Rhetor aut Dialecticus effixit unquam? Ut de antecedente nihil repetam, cum ut res se habet, testatus sit Pastor Eruditissimus, quod ex responsione mea ad articulum tertium plus satis discussum reor: similis enimvero consequentiæ colore ipsum Virum Ampl. potius, quod absit, mendacem dixerit. Cum ille contra nubem testium, ut ad articulum tertium vidimus, unus deponat. Ita tuo jure assumis quod nulla juris specie tueri potes.

Verum testetur senex optimus, non repugno. Ergo ut ita sit, necessum est? Ergo falli nescius est Vir Ampl. ergo Pastor Eruditissimus id verum probè scivit, oppositum tamen quod falsum noverat, religioso sacroque jurejurando asseverare non dubitat? Quam hæ omnes bellæ consequentiæ! cum Amplissimum Virum inter, & Eruditissimum Pastorem præsente nemine, res tota peracta sit: atque adeo neuter alterius affirmatione vel negatione, mendacii, aut perjurii postulari possit.

Aliud hic tuum flagitium est, dum ita scribis, *quodque magis mirêre. Ampl. Frigidi Montis Prælatum, mendacem facere audet.* Quasi magis mirandum foret, & crimen grandius, hominem mendacem dicere aut dicti falsi arguere, quam ipsum Deum in falsi testem pejerando assumere.

Nihil

Nihil iſtiuſmodi reperies penès me. Nunquam ego, quod potiori iure poſſem, Patrem Gerardum Bolck maledicto tam atroci vulneravi. Nuſquam *perfidæ fidei* Sacerdotem inſimulavi: quamquam In publica diſputatione 17. Junii, ut in primo ſcripto meo ſupra 12. uno ore atteſtantur, IN FIDE SACERDOTIS *proteſtatus ſit ſe uni & ſoli Prælato Diligemenſi de ſubſcriptione famoſi Formularii* SEMEL *occaſionaliter eſſe locutum.* Quamquam ipſe Ampliſſimus Prælatus Diligemenſis in teſtimonio ſupra ad articulum tertium relato, numero ſecundo diſertiſſime dicat: *prædictus Pater*, ſcilicet Gerardus Bolck, SÆPIUS *mecum egit de Formulari.*

Abſit ut hic ego in tua verba exclamem. *Habes hic benevole Lector & æquè rerum æſtimator, quæ Vir ille Ampliſſimus*, Prælatus Diligemenſis, *optima ſinceraque fide teſtatur:* & *hæc tamen egregius Vir ille Paſtor S. Ioannis in Melenbeeck & S. Catharinæ Bruxellis D. Guilielmus Van de Neſſe* (egregius Jeſuita ille Pater Gerardus Bolck) *quidquamne magis perfidum, religioſo ſacroque enimvero jure-jurando* (fide ſua Sacerdotali) *infringere, & enervare, quodque magis mirêre, Ampliſſimum Frigidi Montis Prælatum* (Diligemenſem Prælatum) *mendacem facere audet &c.*

Ad CONFIRMATIONEM ab exordio, hac tranſitionis Formulâ ſaltitas, *pagina 4. Iam ab impacta abs te Eximio Patri Calumnia probationis noſtræ faciamus initium:* & rectè, quia in exordio extra chorum cecinetas hactenus. Ut autem *imaginarias* ut ſupra vidimus calumnias diluas, neſcio quas novas mihi impingas. Primo itaque acriori ſtylo inveheris & me diris omnibus devoves, præ reliquis hoc unum exaggerans, quod ego vix *Baccalaureus* talia tantaque in talem tantumque *Doctorem* auſim. *Tu*, exclamas, *Lumbrice qui ſub terra repſiſti hactenus.... vah, ut nil te Baccalaureum pudet..... In tua Theologia quam ne dicam, eminus ſalutaſti, mitius iſtud accipe quam tantiſper delibaſti, nunquam reperias.* *Lutum* me dicis & *fæcem.*

Quod in Eximium P. Magiſtrum Clenaerts, quem ut Doctorem impensè veneror, ſpecietenus injurioſum vel calumnioſum videri poſſit, ſatis ſuperque ſupra diſcuſſum eſt, à quo proinde ſuperſedeo, ne crambem recoquam. Quod me tantum Baccalaureum dicas & impropetes, cedo: ſcilicet undecim ab hinc annis uſque modo Theologiam *Eminus ſalutavi*, vel *tantiſper delibavi:* expleto Vacantiarum Prioris, ut dicunt, munere, plus à ſexennio in Celeberrima Abbatia Diligemenſi Ord. Præmon. Theologiam prælegi. Abſolutis jam pridem ad Licentiæ gradum reſponſionibus, *Baccalaureus* hucuſque perſiſto: Quid enim gradus ipſe vel etiam Doctoralis ſcientiæ vel Majeſtatis ex opere operato conferat, in nemine notavi hactenus; quid aliunde auferat, nonnulli uſque modo norunt experti. O pereruditos tyrones *Ieſuiticos*, & Auguſtinianos! Quia ipſo teſte Patre Joſepho De Reux Societatis Jeſu S. Th. Profeſſore *Tyrones* etiam *ſive reſpondentes noſtri, paſſim æquè ſunt ætate & moribus maturi, quam quidam homines dum gradus Academicos ſuſcipiunt etiam ſummos*, ſeu Doctorales, *& minus habent quam hi condonandum, dum publicè loquuntur aut ſcribunt.* Teſte Ex. Patre Clenaerts in præmonitione Theſium, cui hodie præſidet, qui in ipſorum Schola *Triennii curſum abſolvunt*, Theologiam univerſam propugnando ſunt.

O amuſos veteranos Academicos Theologos! qui etiam per undecim annos incumbendo, Theologiam eminus ſalutant vel tantiſpet delibant.

Dein Ex. Patrem Clenaerts aſſantem me inducis. *Nunc jam*, inquis, *aures arrige, atque te increpantem audi Eximium Patrem, ac Magiſtrum tuum.* Proſpopeiâ juſto longiori per binas paginas verba perdens, reſumis acrius, quæ in ſuo ad me præloquio, Eximius Pater Clenaerts mitius fuerat proſecutus: ita ut mihi ad repetitæ cavillationis jejunitatem plura addere, quam quæ dixi modo, non ſit neceſſe.

Denique, quod rei caput eſt, in hoc uno ſtudium operosè ponis, ut Ex. Patrem Clenaerts pomeridianæ diſputationi latenter interfuiſſe palam facias. Quod ut præ-

ſtes,

ſtes, longam, & laborioſam ſed inutilem conſumis operam; dum teſtes 7. (qui ſolemniſſimo cuivis teſtamento ſufficiunt) *Ieſuitas* omnes conducis. Hi ergo longo ordine Patres, per binas integras paginas, longis, latis, & profundis ſuis atteſtationibus fidem facere prætendunt, *viſum à ſe Lovanii 17. Iunii 1692. Ex Patrem ac M. Petrum Clenaerts ex Ordine S. Auguſtini illo tempore quo habita ſunt diſputationes Theologicæ poſt meridiem:* Et quod mirari ſatis nequeo, ſuperaddunt (qua conſequentiæ ſpecie ipſi viderint) *atque adeo audiviſſe eumdem Ex Patrem ac M quidquid dictum fuit à D. De Laderſous & à Rev. P. Alexandro Maes Societatis Ieſu Theſium ea die defenſarum Præſide & à P. Gerardo Belck ejuſdem Societatis,* &c. O te Vindicem Invictiſſimum! Dum ita craſſum Theologum & Juriſperitum agis. Luſum ludis. Dum in cauſæ tuæ patrocinium Jeſuitas teſtes, cum alios reperire datum non ſit, adducis. Scilicet Jeſuitæ teſtantur Ex Patrem Clenaerts *præſentem fuiſſe, atque adeo audiviſſe* ut quæ hic præſens audivit, pro Jeſuitis deponat. Ergo in fide Rei, fidem ſuam Teſtis liberat. Alterum producis teſtem unicum non Jeſuitam, Dominicum Judocum Scokaert Canonicum Regularem. Contra hunc quidem non excipio, quamvis forte Jure poſſem, cum illum ſciam utcumque faventem & non modico Exi Patri Clenaerts devinctum Officio, ut ſuarum nuper Theſium ariſtarcho. Sed *regulariter unius teſtimonium invalidum eſt.*

, EPILOGUM aſſuis ajens, *brevibus hic attexamus teſtimonium Illuſtriſſimi Antverpienſium Epiſcopi quo Rev Patri Philippo De Hornes à te illata calumnia omnium oculis ſubjiciatur, fiatque palam.* Ita ſcilicet alteram tuam in me calumniam omnium oculis objicis, & reverendum Patrem De Hornes in nupera Diſputatione Lovanii publicè fefelliſſe & impoſuiſſe palam refricas Tunc enim toto conſeſſu teſte, ex quo in ultimo meo ſcripto tres habes irrefragabiles, publicè, clara voce & conſtanter affirmavit, *Reverendiſſimum ac Illuſtriſſimum Dominum Epiſcopum Antverpienſem Famoſi Formularis Belgici cum notis & additionibus ad formulam Alexandri VII. juramentum, etiam ultimis ordinationibus prout antè ab omnibus paſſim ordinandis exigiſſe: & hoc ſibi conſtare, cum penè diebus ſingulis Epiſcopo adeſſet, aſſeveravit.*

Illuſtriſſimus Antiſtes optimâ ſinceraque fide teſtatur, in illo ipſo quod reproducis teſtimonio, *quod in ultimis ordinationibus* EXCEPERIT *Iuramentum Formularis.* Ab illis ſcilicet Religioſis, qui ut in ſua ad me Epiſtola ſcribit Pater VanOuters, parent ultro gaudentes. Ergo prout ante non ab omnibus paſſim ordinandis *exegit.*

Illuſtriſſimus Antiſtes teſtatur *quod exceperit Iuramentum Formularis* SINE ADDITIONIBUS; ergo non exegit Famoſum Formulare Belgicum *cum notis & additionibus ad Formulam Alexandri VII* de quo unicè nos inter lis erat. Ergo quod Ampliſſimorum Dominorum Examinatorum auctoritate, & ordinatorum paſſim omnium fide retuli, Illuſtriſſimi Antiſtitis Teſtimonio confirmas, Patrem Philippum De Hornes Societatis Jeſu in nuperis diſputationibus publicis Lovanii 17 Junii *fefelliſſe & impoſuiſſe.* Turpe eſt talibus præſidiis cauſam ſuam tueri vel potius proſtituere. Dum hic animoſius inſultas, ubi manifeſtius teneris. Sed hac de re plus ſatis dixi ad articulum II. in Symbolo 12. Mendaciorum Patris Alexandri Maes, quod nuper exhibui. Ad quod quidem ille, utpotè *fidei optima*, cum ad cauſam *pertinens* non habeat, vix trium linearum *Impertinens* reponit *impertinentiſſimè.* Sed, EST MAES. Satis dixi.

FINIS.